

NUMI CUFICI

REGII NUMOPHYLACII HOLMIENSIS

OMNES IN TERRA SVECIÆ REPERTI.

KONGL. SVENSKA MYNTKABINETTET.

II.

KUFISKA MYNT.

NUMI CUFICI

REGII NUMOPHYLACII HOLMIENSIS,

QUOS OMNES IN TERRA SUECIAE REPERTOS

digessit et interpretatus est

D:R CAROLUS JOHANNES TORNBERG
IN REGIA UNIVERS. LUNDENSI L.L. O.O. PROFESSOR PUBL. ET E. O., REGIAE
ACADEMIAE LITTERR. HUMANN. HISTORIAE ET ANTIQUITT. HOLMIENSIS,
REGIAE SOCIET. SCIENTIARUM UPSAL., REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARUM
NORVEGICAE, SOCIETATIS ASIATICAE PARIS. ET SOCIETATIS
ORIENTALIS GERMANIAE SODALIS.

(Impensis Reg. Academiae Litterr. Humann. Historiae et Antiquitatum).

UPSALIAE.
EXCUDEBANT LEFFLER ET SEBELL.

1848.

INDEX ARGUMENTI.

PROOEMIUM.

Inde ab antiquissimis temporibus, rem loquor notissimam, orae Maris balthici regionesque iis propinquae immensam argenti signati vim in lucem identidem ediderunt. Non occidentalia modo numismata, id quod utique exspectari poterat, ibi occurrebant frequentissima; sed longe maxima numorum inventorum pars e dirhemis,[1] quos vocant, constabat, quorum inscriptiones mere arabicae Orientem patriam indicabant.[2] Per omnes regiones, in quibus reperiebantur, habitus idem iis fuit, aetas eadem, ita ut non, nisi rarissime, quartum hidjrae seculum excederent. Perpetuo etiam ubique recurrunt khalifae et dynastae, e quorum moneta prodierunt; asiaticae plerumque sunt originis, africani autem numi et

1) Nomen درهم plur. دراهم, e vocabulo graeca δραχμὴ formatum, inde a prima *Abd-el-Meliki*, khalifae umajjadici, moneta, anno 76 hidjrae (p. Chr. 685, 6) procusa, usque ad khalifatum baghdadensem exstinctum, in usu fuit. Modus pondusque dirhemorum parum variebantur. Aurum autem signatum, quod in Suecia rarissime reperitur, eodem temporis intervallo nomen retinuit dinar (دينار plur. دنانير, a graeco δηνάριον desumtum) et mutationibus magis fuit obnoxium. Numi aenei, qui apud Arabas fuls (فلس plur. فلوس) audiunt, apud nos numquam inventi sunt.

2) Cuficos eos vulgo appellant a litteris cuficis (urbi iracanae *el-Kufæ* originem debuerunt et nomen), quae in his numis continue usurpabantur, donec gentes Asiae barbarae imperium Arabibus eriperent, et scripturam vulgarem, *neskhi* s. librariam vocatam, in monumenta omnis generis inducerent.

inprimis hispanici admodum rarescunt. Neque urbes monetales in numis, quos loca patefaciunt remotissima, multum variant. Quibus accedit, quod copia singulorum dirhemorum per omnes has terras septentrionales pari ratione dispersa videatur; certa enim classis fere semper praevalet, quo factum est, ut numi fere iidem in ultima Suecia juxta flumen Angermanniae, atque in Russia orientali prope urbem Casani e terra sint collecti.[1] Nobis has res diligentius considerantibus, facile liquebit, causas tantae argenti molis ex Asia in Europam borealem invehendae per quatuor prima Islamismi secula easdem haud immutatas permansisse.

De vera hujus rei explicandae ratione docti viri olim dubii atque incerti haeserunt et, dum varia tentabant enodationis genera, in diversas abierunt opiniones. Monumenta historiae, his temporibus coaeva, frustra consulebantur: aut tacebant, aut indicia dabant ambigua, quae in novos ducerent errores. Nihil proficiebant, qui in conjecturas, alias aliis vaniores, delabentes, rem attingere conabantur. Hoc tandem tempore omnes, penes quos de hac materia judicium sit, unanimi confitentur, ex ipsis monumentis et e locis, ubi inventa sint numismata, rem esse repetendam. Sic ingenti FRAENHII aliorumque labore et studio indefesso eo jam perventum est, ut nemini sit dubium, quominus commercio inter Asiam et Europam hos thesauros maximam partem debeamus, neque via ulterius lateat, qua in nostras intraverint regiones. Dolendum sane est, has antiquitatis reliquias justo serius doctos movisse. Tali incuria et loca, quibus inveniebantur, diu manebant plane incognita, et, id quod gravius etiam fuit, multitudo dirhemorum haud nu-

---

1) Ut similitudo major etiam legentibus appareat, observent velim, fragmenta dirhemorum (vicem numulorum implentia), numos falsos et nondum cusos, ornamenta integra aut fracta, annulos, bacillos e. s. p. fere ubique simul inveniri.

meranda misere periit. Sueciae quidem prae ceteris imperiis ea debetur laus, ut prima curam harum rerum ostenderit diligentiorem. Inde ab anno 1666, quo a Carolo XI *Collegium Antiquitatum* condebatur, antiquitatibus patriae bene provisum est. Ejus erat provinciae, omnia, quae in terra essent inventa, colligere, describere et conservare. Ut rerum natura secum tulit, res, quae historiam patriae proxime respiciebant, doctis maxime cordi primum fuerunt, et si numi orientales non omnino neglecti jacebant, narrationes tamen de talibus repertis initio fuerunt rarissimae. At temporis successu, et praecipue postquam moderamini *Academiae litterarum humaniorum, historiae et antiquitatum*, a Gustavo III anno 1786 restauratae, numophylacium regium et antiquitatum copia, quae collegii illius, jam abrogati, ditionis quondam fuerant, commissa sunt[1], indies, maxime ardore ill. G. G. Adlerbethii, rem juvante[2], magis magisque vis eluxit, quam in historiam patriae medii aevi illustrandam haec documenta commercii, quod inter Orientem et Europam borealem intercesserat, vere habeant. Nihil igitur, quod in terra inventum publicique juris factum erat, jam oblivioni dabatur, sed, cum omnibus, quae monumento reperto adjunctae essent, rebus et documentis, quae huc pertinebant, Academiae traditis, in collectionibus publicis custodiebatur. Hoc modo 134 loca mihi innotuerunt, in quibus, temporibus diversis, numi cufici sunt lecti.

---

1) Regni Antiquarius, cujus munus jam anno 1629 institutum fuit, et qui idem huic Academiae a secretis est, specialem omnium antiquitatum borealium et numophylacii regii curam retinuit.

2) Commentationem ejus, in volumine primo libri: *Kongl. Vitterhets Historie och Antiquitets Academiens Handlingar* insertam, legentibus notiorem habui, quam ut laudes meas aliorum judiciis de ea adjungerem.

Quum sola narratio de dirhemis inventis fidelis maximum adferat momentum ad varias difficultates, quae hanc cingunt materiem, expediendas, e re duxi, primum legentibus indicem horum offerre locorum. Tum observationes, quae ex reliquiis numorum inventorum, in varia Sueciae musea illatis et a me examinatis, sponte sunt enatae, in medio proponam, et, expositis deinde musei cufici holmiensis fatis, de ratione denique hujus operis pauca disputabo.

Loca in Suecia, ubi numi cufici reperti sunt.

Ex ipso hoc indice inspecto patet, littus Sueciae orientale inde a fluvio Angermanniae usque ad extremos Scaniae fines regionem quasi monetalem efficere, dum non interiores solum regni provinciae, sed etiam occidentales, numos rarissime obtulerunt. Eminent prae ceteris insulae Gottlandia et Ölandia adeo, ut ex locis cunctis, LXXIV solae exhibeant.[1]

a. Provinciae Sueciae orientales.

Angermannia.

1. *Thorsåker, paroecia in territorio Angermanniae australis* (ante annum 1803). Una cum aliis antiquitatis reliquiis numus *Cuficus*, anno **141** (758, 9) el-Kufae cusus, inventus est. Adest in numophylacio upsaliensi.[2]

2. *Edånger, paroeciae Wibyggerå in territorio Angermanniae septentrionalis* (1832). Praeter fragmentum collaris ar-

---

1) Ubique legentibus notum posui librum eximium B. E. Hildebrandi, *Anglosachsiska mynt i Svenska Kongl. myntkabinettet* cet. *(Monnaies Anglosaxonnes du Cabinet Royal de Stockholm toutes trouvées en Suède). Stockh. 1846*, in quo notitias maximi momenti de variis antiquitatum Sueciae classibus inveniunt. Huic viro celeberrimo, mihique amicissimo, cui patriae antiquitates in genere et numorum praesertim scientia tot ac tanta debent incrementa, officia debeo innumera. Non solum in toto hoc opere elaborando fidus et idoneus mihi adfuit auctor, sed in indice praesenti conscribendo summam mihi praebuit liberalitatem, notas mittens, quas diaria continent et Collegii Antiquitatum et Academiae litterarum humaniorum, historiae et antiquitatum. Pro quibus omnibus gratias ei publice ago sinceras. Vestigiis Hildebrandi inhaerens, ordinem locorum, ab eo adhibitum, hic secutus sum. Ut fontes narrationum facilius invenirent legentes, vocabulo *Inv.* saepe addito, indicem indicavi, in quem res, in terra Sueciae repertas et reipublicae venditatas cl. Hildebrand fideliter intulit.

2) Vid. Götlin, *Dissertatio de numis cuficis R. Acad. Ups. Ups. 1803.* pag. 9.

gentei, e multis bacillis conserti, ornamentum, numi speciem referens, et numisma, in Germania, Ottonibus imperantibus, cusum, at valde laesum, *quinque dirhemi* collecti sunt, quorum unus Umajjadicus anno 95 (713, 4) Wasitae, alter Abbasidicus, in Urbe salutis anno 318 (930, 1) cusus erat, ceteri vero Samanidici, ab Ismailo ben-Ahmed et Nasro ben-Ahmed, a. 283—308 (896—921) in urbibus el-Schasch et Samerqandae fabricati. Omnes perforati vestigia ansulae annexae ostendebant. Pretio soluto omnia in museum regium illata sunt. (Inv. 588).

3. *Trök, paroeciae Nora in territorio Angermanniae australis* (1834). Quum lapides ex arvo tollerentur, 8 fragmenta annulorum, fasciculus fili argentei, et 373 numi inventi sunt. Ex his 46 fuerunt *Anglosachsonici*, 5 *Danici*, 319 *Germanici*, 1 *Ungaricus* et duo *Cufici*, qui, Samanidici ambo, alter ab Ismailo ben-Ahmed a. 294 (906, 7) Enderabae, alter a. 296 (908, 9) in el-Schasch, procusi erant. Museum regium omnia emit. (Inv. 655).[1]

4. *Prope Undrom, paroeciae Botheå in territorio Angermanniae australis* (1847). Dum fumus sub stabulo veteri dimoto tollebatur, 1466 numi integri et 230 confracti reperti sunt. Hos inter 14 modo fragmenta immixta erant *dirhemorum* Samanidicorum minuta. E reliquis 2 erant *Suecani*, Olavi Skötkonung; 5 *Norvegici* haud definiendi; 2 *Danici*, Canuti Magni; 490 *Anglosachsonici* cum 89 fragmentis (inde ab Eadgar usque ad Canutum Magnum); $3\frac{1}{2}$ *Irlandici*, Sithrici regis; 492 integri et 22 confracti *Germanici* varii (praeter 468 integros et 104 fractos ejusdem generis, qui, quum oblitterati aut nimis laesi vide-

1) Cfr. B. E. Hildebrand, *Anglosachsiska mynt*, cet., prooem. pag. XXXI, n. 2.

rentur, invenientibus redditi sunt), quos inter aliquot Italiae superiori originem debuerunt, et $2\frac{1}{2}$ *Byzantini.* Simul cum his effossa sunt: monile crassius plectile, patens, cujus extremitatibus inerant foramina, quorum ope claudebatur; armilla, serpentis speciem referens; duae aliae armillae, e bacillis consertae et nodo conjunctae; fragmentum annuli majoris, plectilis; annulus minimus, qui e duobus filis contortus erat; 51 fragmenta varia ornamentorum, bacillorumque ruptorum. Omnia ex argento, a museo regio emta sunt. (Inv. 1318).

Medelpadia.

5. *Birsta, paroeciae Skön,* (1835). In loco palustri, duos modo pedes infra terrae superficiem, una cum annulo argenteo, cui ornamenta triangularia incusa erant, et tribus ejusdem metalli baccis grandioribus, 124 integri et 11 confracti *numi Cufici* inventi sunt, quos museum regium redemit. Paullo post eodem loco 25 integri et 15 fracti alii *numi Cufici* collecti, et a museo etiam coëmti sunt. Praeter majorem Samanidicorum numerum, qui a. 281—294 (894—907) sub Ismailo ben-Ahmed et Ahmedo ben-Ismail, e moneta urbium el-Schasch, Samerqandae, Enderabae et Nisaburae prodierant, multi inerant Abbasidici, khalifis Mehdio, Mamuno, Mutewekkilo, Mustaino, Mutezzo, Muhtedio, et Mutamido, a 148—277 (765—891) in Urbe salutis, el-Muhammediae, el-Basrae, Samerrae, el-Ahwazi, in Armenia (Dowin), Berdaae, el-Schasch et Samerqandae fabricati, duo Soffaridici rariores, alter in Faris a. 273 (886, 7), alter Djennabae a. 277 (890, 1), tres dirhemi Sadjidici, a Jusufo ben-Diwdad, a. 292 (904, 5) Berdaae et totidem Saidi ben-Said, Emiri Khorasanae, Enderabae procusi. (Inv. 686 et 697).

Gestricia.

6. *Åsbygge pagus, paroeciae Wahlbo* (1824). *Numi Cufici* soli, 66 integri et 30 confracti, 21 lothorum ponderis inventi sunt. Duo erant Abbasidici, alter Mutewekkilo khalifa el-Muhammediae a. 242 (856, 7), alter Mutadhedio khalifa in Armenia a. 287 (900) fabricatus; duo Soffaridici sub Amruo ben-el-Leith in Schiraz a. 286 (899, 900) et Arradjan a. 284 (897, 8) cusi; ceteri omnes Samanidici a. 283—312 (896—925), dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed in urbibus el-Schasch, Samerqandae, Balkhae, Enderabae et el-Khottel procusi erant. Omnia, praeter numismata duo, quae jussu Regis inventori reddita sunt, a museo regio redemta sunt. (Inv. 449).[1]

7. *Allmänninge pagus, paroeciae Wahlbo* (1836). In fossa per locum agelli editum ducenda, una cum capsulae aeneae fragmentis, aerugine corrosis, varia ornamenta argentea et numi reperta sunt. Ex his 3 erant *Anglosachsonici*, 2 *Anglo-Normannici*, 1 *Suecanus*, 1 *Germanicus*, 1 *Byzantinus* et 5 *Cufici*, quorum unus Umajjadicus, a. 91 (709, 10) e moneta Wasitensi, alter Abbasidicus a. 325 (936, 7) in Urbe salutis, tertius Samanidicus a Nasro ben-Ahmed a. 309 (921, 2) Samerqandae, quartus Oqailidicus rarus, in Mosul cusus, et quintus falsus notabilis. Singulis ansula erat annexa. Omnia, pondere 58¼ lothorum, a museo regio emta sunt. (Inv. 729).[2]

1) Cfr. Liljegren, *Strödda anteckningar om Fynd i svensk jord*, in *Kongl. Vitterhets Historie och Antiquitets Academiens Handlingar*, tom. XIII, p. 253, n:o 348. Si numos cuficos respexeris, infidus semper auctor mihi visus est Liljegren, quum ipsos numos ab eo allatos inspicere mihi liceret.

2) Cfr. Hildebrand, l. l. pag. XXXII, n. 4.

Uplandia.

8. *Prope Dannemoram* (ante a. 1686). In silva magnus numorum *Cuficorum* numerus effossus est.[1]

9. *Näs, paroeciae Östra Åker in Roslagen* (1704). Quum fossa arbori plantandae foderetur, in vase aeneo, ab aerugine paene dilapso, ingens argenti thesaurus inventus est, cujus magna pars dispersa, at alia haud exigua, 326 lothorum pondere, in museum regium venit. Praeter numismata *Anglosachsonica, Suecana, Danica, Germanica* et *Byzantina*, varia *dirhemorum* genera commemorantur.[2]

10. *Hageby, prope Upsaliam* (1707). In agro multos *numos Arabicos* rusticus effodit.[3]

11. *Sparsätra paroecia in territorio Åsunda* (1724). Plurimi numi antiqui quos inter *Arabici* quoque inerant, reperti perhibentur.[4]

12. *Hållnäs paroecia in territorio Oland* (circ. 1729) numios antiquos *Germanicos* et *Anglicos*, una cum uno *Arabico* in lucem edidit.[5]

13. *Snörum, paroeciae Läby, milliare dimidium ab urbe Upsaliae* (1741). In clivo arenaceo a femina rustici 21 *numi Arabici* inter fodiendum reperti sunt.[6]

---

1) Dijkman, *Observationer till Svenskars och Göthers penninge Räckning.* Stockh. 1686, pag. 3.

2) Hildebrand, l. l. pag. XXXIII, n. 5.

3) Liljegren, *Anteckningar* cet. pag. 175, n. 73.

4) Liljegren, l. l. pag. 178, n. 91.

5) Liljegren, l. l. pag. 179, n. 95; cfr. Hildebrand, l. l. pag. XXXIV, n. 6.

6) Liljegren, l. l. pag. 185, n. 128.

14. *In Roslagen*, anno 1781 argenti thesaurus, 141 ½ lothorum pondere, inventus refertur, qui e numis constabat antiquis, e quibus 100 *Arabici* erant.[1]

15. *Norr Nänö, paroeciae Estuna in territorio Lyhundra* (1781). Ornamentum argenteum lunare, varia ejusdem metalli fragmenta, 2 numi *Byzantini*, Constantini XI et Basilii II, et 99 *Arabici* una collecta sunt. Numi et ornamentum a museo regio sunt coëmta.[2]

16. *Hagby, paroeciae Tillinge in territorio Åsunda* (1802). Sub saxo in colle numi antiqui reperti sunt, e quorum numero numophylacium upsaliense anno post 14 integros et 8 confractos *dirhemos* donum recepit, omnes Samanidicos, a. 281—341 (894—952), el-Schaschae, Samerqandae et Enderabae, ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, procusos.[3]

17. *Önnestad, paroeciae Bro in territorio Bro* (1821). Quinque integri et 2 diffracti *numi Cufici*, a. 905—915 cusi, reperti sunt.[4]

18. *Wäsby, paroeciae Hammarby in territorio Wallentuna* (1828). Ad lapidem majorem in agro a diversis hominibus et variis temporibus circ. 50 lothorum pondus *numorum Cuficorum* lecta sunt, quos inter haud pauci inerant *pehlewici*. Anno

1) Liljegren, l. l. pag. 200, n. 231.

2) Liljegren, l. l. pag. 200, n. 234 et *Inventarium* academiae. In hoc praedium *Narrnanis* nominatur.

3) Götlin, *Dissertatio de Numis Cuficis R. Acad. Upsal.*, pag. 9. et 10.

4) Liljegren, l. l. pag. 252, n. 541. Samanidicos eos reputo, intra annos hidjrae 293—303 procusos.

1842 in musco regio a me examinati, 72 *Cufici*, tam integri quam confracti, esse inventi sunt. Ex his 16 erant Umaijadici a. 80—126 (699—744), Damasci (a. 80), Aberschehri (a. 91)[1], Wasitae et in Africa fabricati, reliqui Abbasidici a. 138—210 (755—826), Basrae, in Urbe salutis, el-Muhammediae, el-Abbasiae, in Africa, in Taberistan, el-Raqqae (a. 179), el-Rafiqae, in Ma'den el-Schasch, Isbahanae, el-Schaschae et Samerqandae cusi. Praeter eos 5 integri *pehlewici* et 57 ejusdem generis fragmenta minuta aderant. In his quinque in adversa parte *Said*, tres *Omar*, litteris cuficis exaratum, ostendebant. Antiquissimis thesauris, ex Oriente advectis et in Suecia repertis, hic merito adnumerandus. (Inv. 512).[1]

19. *Wik in insula Wermdö* (1837). In agro fodiendo *dirhem* Abbasidicus, in Urbe salutis a. 307 (919, 20) cusus, inventus est. (Inv. 782).

20. *Harka, paroeciae Frötuna in territorio Frötuna* (1843). In agro vetusto 16 integri et 11 diffracti *dirhemi* Samanidici effossi sunt, qui sub Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed dynastis e moneta el-Schaschae, Samerqandae et Enderabae a. 285 - 305 (898 - 918) prodierant. Duo falsi erant. (Inv. 1087).

Sudermannia.

21. *Prope Stockholmiam, media via inter officinas picariam et fuliginariam* (1736). Una cum variis ornamentis, annulis cet., ex argento factis, numismata *Anglosachsonica, Germanica, Arabica*, pondere 57½ lothorum, simul sunt reperta. E

---

1) Liljegren, l. l. pag. 275, n. 689.

numis unus modo, qui regis Tutili habebatur, a museo redemtus est.[1]

22. *Baegerstad, paroeciae Brännkyrka in territorio Svartlösa.* Annis aliquot ante 1770 hic plures numi *Cufici* collecti narrantur.[2]

23. *Dåderö, paroeciae Ytter-Jerna in territorio Öknebo* (1799). E numis *Cuficis* hic effossis tres servat numophylacium upsaliense Samanidicos, qui, Ismailo ben-Ahmed et Ahmedo ben-Ismail dynastis, e moneta el-Schaschae a. 284 (897), 290 (902, 3) et 300 (912, 3) prodierunt.[3]

24. *Årsta, paroeciae Kloster prope Eskilstunam, in territorio Östra Rekarne* (1805). In terra fodienda, juxta duo fragmenta ornamenti cujusdam et aliquot nondum cusorum numorum formas, 782 numismata sunt reperta.. Inter *Anglosachsonica, Irlandica, Suecana* et *Germanica*, 2½ modo *Cufica* erant. Ex his duo tantum Samanidici inscriptiones servarant, alter Samerqandae a. 294 (906, 7) ab Ismailo ben-Ahmed, alter el-Schaschae a Nuho ben-Nasr a. 342 (953, 4) cusus. Omnia, pondere 87 lothorum, a museo regio emta sunt. (Inv. 378.)[4]

25. *Södertuna, paroeciae Frustuna in territorio Daga* (1811). In tumulo inter cineres *dirhemus* Abbasidicus, in Urbe salutis a. 333 (944, 5) fabricatus, inventus est. In numophylacio upsaliensi adest.[5]

---

1) Liljegren, l. l. pag. 181 n. 107 et 108, at cfr. Hildebrand, l. l. p. XXXII, n. 9.
2) Brannius, *Dissertatio de paroecia Brännkyrka, Ups. 1770*, pag. 26.
3) Götlin, l. l. pag. 8.
4) Hildebrand, l. l. pag. XXXVII, n. 12. Liljegren, l. l. pag. 218, n. 558, pondus 5 libras et 5 loth. facit.
5) J. H. Schröder, *Catalogus numorum cuficorum cet. Ups. 1826* Prooem. pag. VIII.

26. *Insula Björkö in lacu Mälaren* (1815). Eo loco, ubi urbs antiqua Birca olim fuisse perhibetur, intra saepem ex lapidibus exstructam, quae undique per tumulos sepulcrales vetustissimos cingitur, 1½ pedes sub terrae superficie, inter ossa et cineres numum offenderunt Samanidicum, a Nasro ben-Ahmed procusum.[1]

27. *Broby, paroeciae Österhaninge in territorio Sotholm* (1816 et 1817). In amne praeterfluente, his annis eodem loco, fibula et fragmenta aliquot argentea una cum 431 numis collecta sunt. *Anglosachsonicis, Irlandicis, Suecanis, Germanicis* et *Byzantino* immixti erant *dirhem* integer et 6 confracti, seculo decimo cusi, quorum aetate ultimus Mervanidicus erat, a. 399 (1008, 9) fabricatus. Aderat quoque Abbasidicus, a. 334 (945, 6) in Urbe salutis cusus. Omnia, pondere 87 lothorum, a museo regio coemta sunt. (Inv. 412 et 414).[2]

28. *Bystad in insula Björkö* (1830). Numus *Cuficus* hic repertus, a Dom. Christiernin metatore museo regio dono datus est. (Inv. 555).

29. *In Sudermannia, loco ignoto*, a. 1832 duo *dirhemi* Abbasidici, alter in Urbe salutis a. 181 (797, 8), alter Isbahanae a. 196 (811, 2) cusus, inventi sunt, quos museum regium redemit. (Inv. 596).

30. *Prope oppidum Eskilstunam* (1833). In agro urceus fictilis repertus est, qui varia ornamenta argentea, pondere 44 lothorum, et 445 diversos continuit numos, quorum plurimi erant *Anglosachsonici, Suecani* et *Germanici.* Inerant quoque 1½ *Byzantini* Johannis Zimiscis, et 14 integri atque undecim con-

1) Iduna. vol. 6 pag. 128 sq.
2) Hildebrand, l. l. pag. XXXVIII n. 13. 14, et Hallenberg, *Numismata orientalia,* vol. I, p. 175 sequ.

fracti *dirhemi*. Qui ex his legi poterant, fuerunt: 2 Abbasidici, a. 304 (916, 17) et 313 (925, 6) in Urbe Salutis cusi; 13 Samanidici a. 295—357 (907—968) e moneta urbium Samerqandae, el-Schaschae, Balkhae et Enderabae, et duo falsi. (Inv. 619).[1]

31. *Sylva Spånga, quae Skedvi praedii est, paroeciae Forssa in territorio Willåttinge* (1837). Quum saepem juxta paludem infra montem praeruptum reficerent, fodientes inter duos lapides majores annulum offenderunt majorem duosque minores una cum plus 60 numis argenteis, qui mox dissipabantur. E postea redemtis Comes G. A. Sparre 1 *Angloschsonicum*, 3 *Danicos*, 5 *Germanicos* et unum *Cuficum* Merwanidicum, solito crassiorem, a. 384 (994, 5) in Mejjafareqin procusum, museo regio donavit. (Inv. 901).[2]

32. *Prope urbem Nycopiam* (1841). Dum terra loci, qui officinae ferrariae hic conditae erat, fodiebatur, pars collaris extrema, tria bacilli fragmenta et 458 numi, omnia ex argento, reperta sunt. Inter *Anglosachsonicos*, *Suecanum*, *Danicos* et *Germanicos*, duo obvii erant *Cufici*, alter Abbasidicus, a Muqtediro-billah, alter Hamdanidicus, a Nasir-el-daula procusus; uterque vero loco monetae et anno carebant. (Inv. 937).[3]

Ostrogothia.

33. *Prope oppidum Wadstenam* ante a. 1691 numus *Cuficus* aureus inventus est, qui jam in numophylacio upsaliensi

---

1) Hildebrand, l. l. pag. XXXIX, n. 17.

2) Hildebrand, l. l. pag. XXXIX, n. 18.

3) Hildebrand, l. l. pag. XL, n. 19.

servatur. Est Fatemidicus, a. 331 (942, 3) a Qaim-bimr-illaho el-Mehdiae, urbis Mauritaniae, cusus.[1]

34. *Quästad, paroeciae Skärkind in territorio Skärkind* (1734). Quum solum collis arenacei, cujus arbores deustae erant, everteretur, reperta sunt tria argenti frustula et fere 160 numi, partim *Anglosachsonici*, partim *Germanici* cet., quibus unicus *dirhem* adjunctus fuit.[2]

35. *Insula Sköthholmen in lacu Åsunden* (1752). Rusticus catenam argenteam longiorem et numismata aliquot *Arabica* hic invenit.[3]

36. *Wimarka, paroeciae Wårdsberg in territorio Bankekind* (1834). In lapidum acervo prope praedii aedificia armilla, varia annulorum fibularumque segmenta et 157 numi inventi sunt. Ex his erat 1 *Anglosachsonicus*, 66 *Germanici*, et 90 *Cufici*, partim integri, partim plus minusve confracti. Excepto Abbasidico, a Mutteqio khalifa a. 330 (941, 2) el-Basrae cuso, ceteri Samanidici erant, a. 282—340 (895—952) ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr in urbibus el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Balkhae et Bukharae fabricati. (Inv. 660).[4]

37. *Hestad, paroeciae Häradshammar in territorio Östkind* (1837). Sublato lapidum acervo, in terra atra, cui cineres

1) Vid. El. Brenneri, *Thesaurus numorum Sueo-Goth. Holmiae* 1691, in prooemio §. 10. Conspicitur ibidem aeque male delineatus, atque in *Catalogo* I. H. Schröderi perperam explicatus (vid. pag. 26 n. 149).

2) Hildebrand, l. l. pag. XL, n. 21.

3) Broocman, *Östergöthland*, vol. II, p. 15.

4) Hildebrand l. l. pag. XLI, n. 22.

admixti videbantur, bacillus argenteus et fibula aenea, in multas partes dilapsa, apparuerunt. Simul 58 *dirhemi*, plus minusve male habiti vel omnino dirupti, collecti sunt. Constabant e 2 Abbasidicis, Mutadhido khalifa in Urbe Salutis a. 284 (897. 8) et el-Mutteqio khalifa el-Basrae a. 331 (942, 3); 3 Buwejhidicis a. 334 (945, 6) el-Basrae, 342 (953, 4) el-Ahwazi, tertio sine anno et loco; reliquis Samanidicis, qui a. 284—349 (897—961) Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed, Nuho ben-Nasr et Abd-el-Meliko ben-Nuh dynastis, e moneta el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae et Nisaburae prodierant. (Inv. 768).

38. *Wahlby*, *paroeciae Wäderstad in territorio Göstring* (1847). In fossa circa agrum ducenda, monile plectile in tres partes diffractum, 10 rotundi bacilli rupti segmenta et 15 integri ac 13 confracti numi *Cufici*, quorum in numero Abbasidicus erat, a. 280 (893, 4) cusus, reliqui autem e Samanidicis constabant, quos Ismail ben-Ahmed, Ahmed ben-Ismail, Nasr ben-Ahmed et Nuh ben-Nasr, a. 288—340 (900—952), el-Schaschae, Samerqandae et Bukharae signandos curaverat. (Inv. 1335).

Smolandia.

39. *Prope urbem Calmariam* (1673). In agro inter arandum numismata varia inventa sunt, e quibus El. Brenner aliquot *Anglosachsonicos*, multos *Germanicos* antiquos et tres *Cuficos* apud aurifabrum redemit.[1]

40. *Skärstad pagus*, *paroeciae Södra Wi in territorio Sevede* (1823). In medio tumulo vetusto sepulcrali, juxta car-

1) El. Brenner, *Thesaurus numorum Sueo-Gothorum. Holmiae 1691*, preoem. §.10.

bones paucos, fragmenta urnae figulinae, quibus ossa adusta erant admixta, reperta sunt. Inerant quoque baccae vitreae, marmoreae cet., acus aeneus, segmenta catenae et fibula metalli ejusdem una cum numo *Cufico* umajjadico, qui, in urbe Persidis Darabdjerd anno 92 (710, 1) cusus, in numophylacio upsaliensi jam asservatur.[1]

41. *Nygård, paroeciae Lofta in territorio norra Tjust* (c. 1824). E congerie numorum *Cuficorum*, hic collecta, numophylacium upsaliense XIII ibi desideratos, maximam partem Samanidicos, sibi selegit.[2]

42. *Horda tugurium militare, paroeciae Moheda in territorio Albo* (1828). Prope oram fossae agri nuper exculti, juxta lapidum acervum, urceus apparuit figulinus, in quo varia recondita jacebant ornamenta eorumque fragmenta, nec non 256 numi, quorum maximam partem *Anglosachsonici* et *Germanici* efficiebant. Aderant quoque tres *dirhemi* integri et 27 talium fragmenta. (Inv. 501).[3]

43. *Hula, paroeciae Loftahammar in territorio Tjust* (1832). 29 integri et 16 confracti *dirhemi* simul reperti sunt. Praeter Tahiridicum, a. 225 (839, 40) cusum, omnes Samanidici erant, a. 292—338 (904—950) ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr dynastis in urbibus el-Schasch, Samerqanda, Enderaba, Nisabura et Bukhara procusi. (Inv. 601).

---

1) Iduna, vol. X, p. 508 et sq.

2) J. H. Schröder, *Catalogus* cet. prooem. pag. XIII.

3) Hildebrand, l. l. pag. XLII, n. 25.

44. *Flatebo, paroeciae Hvena in territorio Sevede* (1845). Quum in agro deusto semen inoccaretur, 22 bacillorum, filorum atque ornamentorum segmenta minora, et tres integri ac 141 diffracti *numi Cufici* collecti sunt. Abbasidicis paucis exceptis, quos Harun-el-Reschid, Radhi et Mutteqi khalifae cudendos curaverant, omnes reliqui Samanidici erant, a dynastis n. 43 memoratis, el-Schaschae, Samerqandae, et Bukharae usque ad annum 341 (952, 3) fabricati. (Inv. 1231).

Blekingia.

45. *Gredeby, paroeciae Nättraby in territorio orientali* (Östra Härad) (1833). Tres integri *numi Cufici* cum aliquot ejusmodi fragmentis reperti sunt. »Plurimi a. 303 (915, 6) Samarqandae a dynasta samanidico Nasro ben-Ahmed cusi erant.« Ab S. W. Gynther, cancellariae rerum navalium praefecto, servati sunt.

Scania.

46. *Kullaberg prope Krapperup, paroeciae Brunnby in territorio Luggudde* (1715). Argenti thesaurus, lothorum 48 pondere, hic repertus, armillas continuit, e filo argenteo contortas et annulum majorem laevem, cui septem minores appensi erant, quorum quatuor *dirhemis samanidicis* circumdabantur.[1]

47. *Gärsnäs, paroeciae Östra Herrestad in territorio Ingelstad* (1729). Quum in agro inter arandum vas figulinum frangeretur, varia ornamenta et numismata argentea per terram dispersa apparebant. Ex his magna vis, 204 ½ lothorum pondere, reipublicae oblata est. Numi, pondere 153 ½ lothorum,

---

1) Liljegren, l. l. pag. 176, n. 80.

erant *Anglosachsonici*, *Irlandici*, *Donicus*, *Germanici* et aliquot *Cufici*.[1]

48. *In paroecia Querrestad in territorio Ingelstad* anno 1734 numi *Arabici* una cum *Anglosachsonicis* et *Germanicis* antiquis inventi sunt.[2]

49. *Belteberga*, *paroeciae Ottarp in territorio Luggudde* (1741). E multis, qui hic effodiebantur numi, duo soli, *Byzantinus* et *Arabicus*, reipublicae oblati sunt.[3]

50. *Lackalänga pagus*, *paroeciae Lackalänga in territorio Torna* (1819). Quum saepes lapidea tolleretur, tres annuli majores argentei retecti sunt. Horum alii octo annuli minores et duo *dirhemorum* fragmenta erant appensa; alius vero 15 diversae magnitudinis annulos annexos portabat, quorum duo laminis ejusdem metalli operiebantur. Ornamentum etiam quoddam triangulare, caelatum, pondere 10 lothorum, cujus angulus unus abruptus erat; lamina argentea et 5 ornamenta aurea, quorum tria speciem fibularum referebant, quartum rotundum et caelatum erat, quintum autem clavo convexo simile, simul inventa sunt. Pondus argenti omnis erat $27\frac{1}{2}$ lothorum, auri autem $1\frac{13}{16}$ lothorum. (Inv. 431).[4]

51. *Reslöf pagus*, *paroeciae Reslöf in territorio Onsjö* (1842). In lapide majori tollendo, pedis modo altitudine sub

1) Hildebrand, l. l. pag. XLII, n. 26.

2) Nota C. R. Berlu, consiliarii Cancellariae, in actis Academiae litter. human. hist. et antiquitatum.

3) Liljegren, l. l. pag. 185, n. 127.

4) Liljegren, l. l. pag. 240, n. 469 et Acta Academiae litt. human. historiae et antiquitatum.

terrae superficie inventa sunt: collare majus plectile, 3 armillae diversae specie et modulo, 4 annuli et 546 numi, omnia ex argento. *Anglosachsonici* et *Germanici* maximam horum constituebant partem. *Cufici* quoque inerant tres, 2 Abbasidici, in Urbe salutis a. 191 (806, 7) et 287 (900) et Samanidicus, ab Ismailo ben-Ahmed, a. 283 (896, 7) el-Schaschae cusus. (Inv. 1025).[1]

52. *Skabersjö in territorio Bara* (1843). Dum in palude (torfmosse) fodiebatur, 40 segmenta minuta catenarum, annulorum, fibularum cet., bacillus planus, diductus et multoties complicatus, nec non 16 numi in conspectum venerunt. Horum 1 *Anglosachsonicus*, 14 *Germanici* et 1 *Cuficus*, a Nasro ben-Ahmed Samanida a. 323 (934, 5) Samerqandae cusus, erant. Omnis thesaurus, pondere 12 lothorum, a museo regio coëmtus est. (Inv. 1057).[2]

53. *Insula Ifö, in lacu ejusdem nominis et territoris Willand* (1845). Annuli plures, e filo argenteo contorti et quatuor *dirhemi* Samanidici hic inventi, in museo universitatis lundensis servantur.

54. *Prope urbem Ystad* (1847). Bracteata argentea et segmentum annuli, e filo ejusdem metalli contorti, una cum sex *dirhemis* integris et 17 fragmentis talium numorum simul a rustico reperta sunt. Inerant Abbasidicus, a Muqtediro khalifa a. 30* Samerrae cusus, Buwejhidicus rarior a. 336 (947, 8) el-Basrae fabricatus; reliqui autem Samanidici erant, dynastis

1) Hildebrand, l. l. p. XLV, n. 31.
2) Hildebrand, l. l. pag. XLVI, n. 32.

Ismailo ben-Ahmed, Nasro ben-Ahmed, Abd-el-Meliko ben-Nuh et Mansuro ben-Nuh, in urbibus el-Schasch et Samerqandae procusi. In collectione Liberi Baronis KURCK adservantur.

b. Insulae Maris Balthici.

Ölandia.

55. *In paroecia Bredsätra*, a. 1768 in terra numi *Cufici*, pondere 78 lothorum, reperti sunt, quorum plurimi confracti erant.[1]

56. Anno 1771 in Ölandia, loco ignoto, 40 integri et circiter 800 confracti *numi Cufici*, quos CAROLUS AURIVILLIUS, in *Novis Actis Reg. Societatis Scientiarum Upsaliensis*, Tom. II pag. 82 sqq delineavit et descripsit. Hinc apparet, 684 Samanidicos, ab Ismailo ben Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr procusos, 3 Buwejhidicos, 21 Abbasidicos, multos falsos, monstra et oblitteratos congeriem continuisse. Mortuo Aurivillio numi, qui etiam nunc in aedibus ejus servati sunt, sub hasta venum dati, plurimi in museum TYCHSENII rostochiensis immigrarunt. Rem haud mirabitur, qui narrationem legerit HALLENBERGII, de statu numophylacii regii, ineunte hoc saeculo, in libro, *Berättelse om Kongl. Svenska Myntcabinettet*, *Stockh. 1804*, inscripto.[2]

57. *Öfra Wagnborga*, *paroeciae Köping* (1777). Lapide sublato, quatuor modo pollices sub terrae superficie varia ornamenta et numi *Anglosachsonici*, *Germanici* et *Cufici*, pondere 192½ lothorum, effossa sunt. Pars hujus thesauri a museo regio emtus est.[3]

---

1) LILJEGREN, l. l. pag. 193, n. 198.

2) Cfr. C. M. FRAEHN, *Neue Sammlung kleiner Abhandlungen*, cet., pag. 101.

3) HILDEBRAND, l. l. pag. XLVI, n. 33.

58. *Gröndal, in pascuo inter Templum Köping et Klinte pagum sito* (1779). Postquam lapis grandior effossus erat, varia aparebant ornamenta et numismata *Anglosachsonica, Germanica* et *Cufica*, pondere 153 lothorum. Pars in museum regium est illata. Inter 101 cuficos examinatos, 84 Samanidici erant.[1]

59. *Petgärde, paroeciae Löt* (ante a. 1824). Una cum monili, clave antiqua et hamo majori, e metallo antiquo factis, multi *numi Cufici* e terra effossi sunt.[2]

60. *Hvalnäs, paroeciae Löt* (1828). Sub lapide majori in agro reperti sunt *numi Cufici*, pondere 53½ lothorum, quorum 96, in museum regium illatos legi. Erant 4 Umajjadici, quorum unus cusus in Wasit a. 126 (743, 4), reliqui s. a et l.; 40 Abbasidici, cusi in Urbe salutis a. 188—218 (803—834), el-Muhammediae a. 165—188 (781—804), in Kerman a. 169 (785, 6), Samerqandae a. 197 (812, 3), 201 (816, 7), Balkhae s. a., el-Mubarekae a. 175 (791, 2), el-Abbasiae a. 167 (783, 4), 172 (788, 9); 6 Idrisidici, Bedaae a. 174—176 (790—793); reliqui Samanidici, a. 283—335 (896—947) ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasr ben-Nuh, Nuho ben-Nasr, el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Balkhae et Nisaburae procusi (Inv. 515).[3]

61. *Mysinge, Paroeciae Resmo* (1832). Amota lapidum magna congerie, vas ligneum antiquum tres pedes sub terrae superficie inventum est, quod argenti thesaurum, 36 lothorum pondere, continuit, constantem ex ornamentis variis eorumque frustulis; e catena, quam quinque numi conjuncti formabant: 1) falsus

---

1) Hildebrand, l. l. pag. XLVII, n. 54. et Ahlqvist, *Ölands Historia och beskrifning*, Vol. II, p. 167.

2) Ahlqvist l. l.

3) Cfr. Liljegren, l. l. pag. 276, n. 693.

Canuti, 2) Harthacanuti, 3) Henrici imperatoris germanici, 4) Magdeburgici et 5) *Cuficus*, solito major, Merwanidicus, anno 397 (1006, 7) el-Basrae cusus; et e 186 numis, tam *Anglosachsonicis*, quam *Germanicis* et *Danicis*. Ornamenta omnia in collectione antiquitatum Doctoris EKMAN, quam museum regium a. 1846 coëmit, huc immigrarunt[1].

62. *Ullevi, paroeciae Gårdeby* (1832). Numi *Cufici* Samanidici, numero 44, soli hic reperti sunt. Dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed, a. 282—310 (895—923), e moneta urbium el-Schaschae, Balkhae, Enderabae et Nisaburae prodierunt. (Inv. 600).

63. *Aronstorp, paroeciae Thorslunda* (1833). Una cum parvo catenae plectilis frusto, duobus ornamenti plani cujusdam segmentis, totidem fragmentis longioris acus fibulae, in annulum convoluti, et folio, quae omnia ex argento erant, 165 *numi Cufici*, partim integri, partim fragmenta, collecti sunt, de quibus P. SJÖBRING, olim L. L. O. O. professor upsaliensis, cujus examini erant traditi, haec retulit: »Sunt *1)* 3 numi Khalifarum el-Mansuri, Harun-el-Reschidi et el-Mutewekkeli, *2)* 6 el-Mutadhedibillah, *3)* 3 el-Muktefii, *4)* 28 el-Muqtediri, *5)* 3 el-Qahiri, *6)* 5 el-Radhii, *7)* 3 el-Mustekfii, *8)* 3 el-Muti'i, *9)* 6 Nasri ben-Ahmed Samanidae, *10)* 4 paene obliterati et non explicandi, *11)* 31, qui dimidiam modo numi partem efficiebant, partim lecti et definiti, *12)* 24 fragmenta, plus minusve enodata, et *13)* 46 fragmenta plane oblitterata«. (Inv. 611).

64. *Arbelunda, paroeciae Löt* (1838). Quum fossa circa agrum effoderetur, varia ornamentorum bacillorumque frustula et

1) HILDEBRAND, l. l. pag. XLVIII, n. 36.

50 *numi Cufici*, omnia 40 lothorum pondere, in conspectum venerunt. Praeter 3 Abbasidicos, in el-Ahwaz a. 298 (910, 1) et 305 (917, 8), tertius loco et anno carebat, cusos, et Buwejhidicum, a. 324 (935, 6), reliqui Samanidici erant, dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed, Nuho ben-Nasr et Mansuro ben-Nuh, a. 282—344 (895—956) — Mansuri annum et locum non habuit — in urbibus el-Schaschae, Samerqandae, Bukharae, Enderabae, Balkhae et Nisaburae fabricati. Inv. 802.

64. *Sandby*, *paroeciae Sandby* (1840). In arenaria paroeciae communi vidua nautae pauper, thesaurum offendit argenti, 15,[83] librarum pondere. Inerant: collare, e filis pluribus crassis contortum; 4 armillae, quae, e bacillis rotundis et crassis, in spiram convolutis, formatae, ab altera parte extrema clavum portabant quadrangulare, ab altera ansulam; 1122 integri et fere totidem confracti *numi Cufici*. Horum magna pars e plane oblitteratis vel formis nondum signatis constabat; aliam majorem etiam fragmenta efficiebant, in quibus nihil numo definiendo residuum erat. Quibus deductis, 935 supererant explicatione idonei, qui, similibus non recensitis, hos dabant, plurimos rariores, immo unicos. 1) 52 Omajjadici, a. 80—131 (699—749), e moneta urbium Damasci, el-Basrae, el-Kufae, Wasit, el-Tejmerae, Istakhar, *Darabdjerd*, Destuwae, Armenia (Dowin), *Mahi*, Sabur, *Aberschehr*, Ramhormuz, Suq-el-Ahwaz, Surraq, Kerman (el-Sirdjan), Menadhir et Merw. 2) 275 Abbasidici, khalifis Abu-l-Abbaso, Mansuro, Mehdio, Hadio, Haruno el-Reschido, Amino, Mamuno, Mutasimo, Wathiqo, Mutewekkilo, Mustaino, Mutezzo, Mutamido, Muwaffiqo et Mutadhido cusi. Nomina urbium, quae in his legebantur, erant: el-Kufa, Ramhormuz, Suq-el-Ahwaz, el-Basra, el-Muhammedia,

Ardschir-Khurra, el-Rej, Armenia, Berdaa, Urbs salutis (Baghdad), Samerqand, Djej, el-Abbasia, Kerman, Africa, Adherbidjan, Jemama (Hadjer), Qasr-Selam, el-Harunia, Zerendj, Balkh, Damascus, el-Rafiqa, Maden-el-Schasch, Aberschehr, Taberistan, Herat, Bukhara, Nisabur, Isbahan, Merw, Wasit, Arran, Samerra, Mah-el-Kufa, el-Mutewekkelia, el-Schasch, el-Ahwaz, Maden-Bakhines, Misr (Fostat), Schiraz, Omman, Qomm et Pendjhir. 3) 3 Idrisidici, fragmenta Bedaae et Welilae procusa. 4) 30 Tahiridici, a. 208—253 (823—868) e moneta urbium: Aberschehr, Zerendj, Samerqandae, Faris, el-Muhammediae, Merw, Mah-el-Kufae, el-Schaschae et Isbahanae. 5) 12 Soffaridici, a. 255—277 (868—891) in Faris, Nisaburae et in Schiraz procusi. 6) Zeididici 3 (aderant 11 similes) rarissimi in Djurdjan, a. 267 (880, 1) et 268 (881, 2) fabricati. 7) 12 numismata, quæ Emiri Khorasanæ, e posteris Abu-Daudi, Enderabæ a. 266—278 (879—892) signanda curaverunt. 8) 3 Samanidici, ab Ismailo ben-Ahmed a. 281 (894, 5.) el-Schaschæ et Samerqandæ cusi. 9) 11 fragmenta numorum pehlevicorum, quorum duo Omar, duo بسم الله, litteris cuficis exarata ostendebat. Nullus thesaurus, nostris temporibus repertus, tot ac tantis dirhemis summi pretii et momenti numophylacium regium orientale ditavit. Quum numi, in Armenia et provinciis adjacentibus cusi, haud exiguam inventorum partem constituerent, Samanidici autem non nisi tres inessent, nihil dubium mihi erat, quin per Armeniam ad mare ponticum primum essent delati et hinc postea per Russiam in nostra littora devenissent. (Inv. 936).

66. *Södvik, paroeciae Persnäs* (1840). Quum agri margo perfoderetur, 364 numi *Suecani* parvi, sine dubio exeunte

seculo 12:o, aut ineunte 13:o cusi, inventi sunt. Simul apparuerunt duo segmenta monilium, quae, e filo argenteo reticulate plexa, 13 numos appensos portabant, quorum 8 *Anglosachsonici*, 3 *Danici*, 1 *Germanicus* et 1 *Cuficus* erant, et multae aliae res ornamentaque argentea. Omnia, circ. 10 lothorum pondere, a museo regio emta sunt. (Inv. 900).[1]

67. *Praedium sacerdotale paroeciae Högby* (1841). In agro 6½ *dirhemi* lecti sunt Samanidici, dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed, a. 294—303 (906—917) el-Schaschae et Samerqandae procusi. (Inv. 957).

68. *Paroecia Södra Gärdslösa, loco non indicato* (1842). In acerbo lapidum tollendo, 17 numi *cufici* integri et totidem ejusdem generis fragmenta reperta sunt. Praeter novem Abbasidicorum segmenta et numum nondum cusum, ceteri erant a) Abbasidici, a. 133—244 (750—859) e moneta urbium: el-Kufae, Urbis salutis, el-Muhammediae, el-Abbasiae, Taberistan et Samerqandae; b) Tahiridici 3, cusi Samerqandae a. 217 (832, 3), el-Schaschae s. a., at post a. 232 (846, 7) et in Faris a. 249 (863, 4). Pondere erant 5½ lothorum. (Inv. 1009).

69. *Smedby*, *paroeciae Smedby* (1844). Dum in agro fodiebatur, *dirhem* Samanidicus, a Nasro ben-Ahmed Samerqandae a. 302 (914, 5) procusus, repertus est. (Inv. 1177).

Gottlandia.

70. Ante annum 1633 multos numos *Arabicos* hic erutos esse, testatur STRELOW.[2]

---

1) HILDEBRAND, l. l. pag. XLVIII, n. 37.

2) *Guthiländske Chrönica*, cit. a. CAR. AURIVILLIO in *Novis Actis reg. Societ. Scient. Upsal.*, Vol. II, pag. 79.

71. *Inter praedia Wiblingsgård et Harde, paroeciae Helvik* (1685). Sub arboris radice duo annuli argentei et multi *numi Arabici* reperti sunt.[1]

72. Anno 1690, loco haud designato, magnus *numorum Arabicorum* numerus hic effossus est.[2]

73. In magno argenti thesauro, quem haec insula anno 1703 in lucem edidit, 21 *numi Arabici* sunt collecti.[3]

74. *Locus non indicatus* (1711). Una cum segmento annuli, e filis argenteis contorti, 358 numi inventi sunt: a) *Anglosachsonici*, b) *Germanici*, e moneta Coloniae, c) *Byzantini* et d) 4 *Cufici*. Omnia in archivum antiquitatum illata sunt.[4]

75. *Paroecia Sanda, non procul a templo* (1733). Numi integri *Arabici*, pondere 55 lothorum, diffracta autem numismata et annulus argenteus oblongus, pondere 45 lothorum, una sunt lecta.[5]

76. *Wible, paroeciae Westerhejde* (1739). Canis, qui, os celaturus, terram pedibus fodiebat, thesaurum argenti, pollicis modo altitudine in solo abditum, exhumavit, qui, pondere 135 1/8 lothorum, e 6 annulis diversi moduli, variis parvis rebus et numis (pondere 68 5/8 lothorum) constabat. Inerant *Anglosachsonici*, *Germanici* maximam partem Colonienses, *Byzantini* et *Cufici*, quorum duo ultima genera valde oblitterata erant. Archivum antiquitatum tres tantum annulos majores emit.[6]

---

1) Liljegren, l. l. pag. 167, n. 28.

2) Liljegren, l. l. pag. 169, n. 40.

3) Liljegren, l. l. pag. 173, n. 66.

4) Liljegren, l. l. pag. 175, n. 78 cfr. Hildebrand, l. l. pag. XLIX, n. 39.

5) Liljegren, l. l. pag. 180, n. 102

6) Hildebrand, l. l. pag. L, n. 41.

77. *Locus non designatus* (1741). Juxta *Byzantinum* argenteum et quatuor *Graecos* aeneos, multi admodum *numi Arabici* inventi sunt.[1]

78. *Angelbo* (1793). Inter arandum famulus bacillum offendit argenteum, plumae anserinae crassitie, qui, in spiram convolutus, marsupium formabat, monetae *Arabicae* et *persicae* plenum. Omnia misere perierunt.[2]

79. *Paroecia Othem* (1799). E numis ibi inventis, anno post *Arabicus* et *Gottlandicus* Holmiam missi sunt.[3]

80. *Follingbo paroecia* (1801). Apud Aurifabrum Wisbyensem reperta sunt: ornamentum argenteum antiquum et numus *Arabicus*, e sepulcro vetusto eruta.[4]

81. *Myrungs, paroeciae Linde* (1807). In agro, Sallandsåker appellato, inter spicas legendas, 570 numi et 64 eorum fragmenta, una cum bacillorum ruptorum e. s. p. segmentis, pondere 72 lothorum, collecta sunt. Inter *Anglosachsonicos* 324, 243 *Germanicos*, *Irlandicum* et *Byzantinum*, integer *dirhem* khalifae Mutadhidi, a. 287 (900) in Armenia cusus, occurrit et 11 ejusmodi fragmenta, e quibus quatuor ita definiri poterant, ut duo essent Samanidi, alter Samerqandae a. 301 (913), alter sine anno et loco a Nuho ben-Nasr fabricatus, duo vero Buwejhidici, qui et anno et loco monetae carebant. (Inv. 394).[5]

---

1) Liljegren, l. l. pag. 184, n. 125.

2) Liljegren, l. l. pag. 206, n. 278.

3) Liljegren, l. l. pag. 214, n. 311.

4) Liljegren, l. l. pag. 214, n. 316.

5) Hildebrand, l. l. pag. L, n. 42.

82. Anno 1809, diversis temporibus 5 numi *Cufici*, sine dubio Samanidici, inventi sunt, a. 282 (895, 6), 283 (896, 7), 292 (904, 5), 293 (905, 6) et 306 (918, 9), secundum J. HALLENBERGIUM cusi. (Inv. 391).[1]

83. *Locus haud indicatus* (1810). Vas aeneum numorum *Anglosachsonicorum*, *Germanicorum* cet., quibus unus inerat *Cuficus*, plenum repertum est. Numis dissipatis, vas postea dono J. HALLENBERGII in museum regium venit. (Inv. 466).[2]

84. *Sorby*, *paroeciae Lummelunds* (Stenkyrka) (1813). In horreo rustici, nomine Caroli Sorby, a nitrariis effossa sunt: fragmenta pectoralis diffracti et bacillorum ex argento, ac 719 numi. Quorum 176 erant *Anglosachsonici*, 1 *Irlandicus*, 1 *Suecanus*, 539 *Germanici*, 1 *Ungaricus* et 1 integer ac 8 confracti *dirhemi*. His intererat Abbasidicus, khalifa Haruno el-Reschido el-Muhammediae a. 191 (806, 7), cusus; alius nomen el-Qadir-billahi solum ostendebat Hamdanidicus, a. 341 (952, 3) et 4 Samanidici, a. 289 (901, 2) — 32* el-Schaschae ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed cusi; reliqui oblitterati. (Inv. 403).[3]

85. *Locus non designatus* (1817). Duo *dirhemi* Samanidici, alter el-Schaschae ab Ismailo ben-Ahmed a. 286 (899), alter in Maden a. 306 (918, 9) a. Nasro ben-Ahmed cusus, hic inventi, a museo regio sunt redemti. (Inv. 418).[4]

---

1) LILJEGREN, l. l. pag. 220, n. 330.
2) HILDEBRAND, l. l. pag. LI, n. 43.
3) HILDEBRAND, l. l. pag. LI, n. 44.
4) LILJEGREN, l. l. pag. 235, n. 433.

86. *Locus non indicatus* (1823). *Dirhem* Samanidicus, a Nasro ben-Ahmed fabricatus, hic repertus museo regio a P. A. Wallmark, Consiliario cancellariae, dono datus est. (Inv. 446).[1]

87. *Deps in Trökel, paroeciae Klinte* (1823). Famulus qui lapidem calcarium fornaci vicinae caedebat, saxum offendit durius et, eo sublato, magnam conspexit numorum *Arabicorum* vim, quae ponderis erat fere 80 lothorum. Septem modo exitio erepti sunt, quorum unum Samanidicum in collectione Magistri C. J. Bergman vidi.[2]

88. *Paroecia Grötlingbo* (1827). Sub lapide, quem congeries lapidum in agro tegebat, majori, 7 numi pehlewici et 23 *Cufici*, pondere $5\frac{7}{8}$ lothorum, inventi sunt. Ex illis unus nomen Omari, litteris cuficis exaratum, ostendebat; horum autem erant: a) 3 Umajjadici, a. 86 (705), 112 (730, 1) et 128 (745, 6) in Wasit cusi: b) Abbasidici, e moneta Urbis salutis a. 152—193 (769—809), Suq-el-Ahwazi a. 134 (751, 2), el-Muhammediae a. 181 (797, 8), Qasr-Selam a. 199 (814, 5), Djej a. 162 (778, 9), Nisaburae a. 193 et 198 (813, 4), Maden el-Schasch a. 190 (805, 6), Samerqandae a. 197 (812, 3), Sedjestan 174 (790, 1), Balkhae a. 162 (778, 9) et 182 (798, 9), Isbahanae a. 197 et 198 et el-Abbasiae a. 172 (788, 9). b) 2 Idrisidici, cusi Bedaae a. 16* et Welilae a. 180. c) Tahiridicus, a. 220 (835) in Merw et d) Samanidicus, a. 285 (898, 9) el-Schaschae cusus. (Inv. 517).

89. *Digrans, paroeciae Sundre* (1828). Operae, qui fruticem juniperi in campo tollebant, capsulam offenderunt aeneam,

---

1) Liljegren, l. l. pag. 233, n. 342. Ambo ultimi thesauri, reliquiae fortasse majorum, rectius omnino reticendi erant.

2) Indicium hujus rei Mag., C. J. Bergman, mihi amicissimus impertivit.

quae varia continuit ornamenta argentea et 301 numos, pondere 46 lothorum. Inerant 208 *Anglosachsonici*, 1 *Byzantinus*, 18 integri et 7 confracti *dirhemi*, in quibus inveni: a) 3 Abbasidicos, cusos el-Muhammediae a. 170 (786, 7), in Urbe salutis a. 322 (933, 4) et el-Basrae a. 324 (935, 6); b) 1 Tahiridicum, e moneta Isbahanae a. 252 (866, 7); c) 3 Merwanidicos, a. 386 (996, 7) et 389 (998, 9), cusos, (tertius locum modo cudendi Nisibin ostendebat); d) duos falsos, samanidicorum speciem referentes et e) Samanidicos, reliquos omnes, qui a. 299—345 (911—957) el-Schaschae, Samerqandae et Balkhae ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben Ismail, Nasro ben-Ahmed, Nuho ben-Nasr et Abd-el-Meliko ben-Nuh dynastis procusi erant. Omnia a museo regio emta sunt. (Inv. 520).[1]

90. *Ockis, paroeciae Öija* (1851). Simul cum bacillo argenteo, multifariam convoluto, 5 integri et 6 fracti *dirhemi* sunt inventi. Omnia, pondere 0,[26] librae, a museo regio coemta sunt. Qui legi poterant numi, erant Abbasidici, a. 161—197 (777—813) in Urbe salutis, el- Muhammediae et Isbahanae fabricati. (Inv. 567).

91. *Nyhagen, prope templum paroeciae Klinte* (1833). In agro novali duo bacilli argentei, in spiram convoluti, pondere 15 lothorum, et 117 *dirhemi*, partim integri, partim fracti, partim omnino oblitterati. Ex his 61 selectos regium museum redemit. Erant: a) Abbasidici, in Urbe salutis a. 157—264 (773—878), el-Kufae a. 140 (757, 8), el-Muhammediae a. 182 (798, 9), Damasci a. 224 (838, 9), Samerrae a. 231 (845, 6), in Armenia 252—267 (866—881), in Sedjestan 162 (778, 9),

1) Hildebrand, l. l. pag. LII, n. 45.

Balkhae a. 185 (801, 2), Nisaburae a. 194 (809, 10), Isbahanae a. 199 (814, 5), el-Schaschae a. 268 (881, 2) et in Faris a. 275 (888, 9); b) Tahiridici, e moneta urbium Samerqandae a. 228 (842, 3) et 24·, el-Muhammediae a. 226 (840, 1) et 242 (856, 7), el-Schaschae a. 228 (842, 3), 250 (864, 5) et 251, Merw a. 245 (859, 60), 246 et 256 (869, 70), Mah-el-Kufae a. 246 et c) Samanidici, el-Schaschae a. 284—310 (897—923) et Enderabae a. 310 cusi. (Inv. 641).

92. *Norrquie, paroeciae Grötlingbo* (1854). Sub rubo, in agri margine sublato, sex ornamentorum fragmenta et 169 numi apparuerunt, quorum 16 erant *Anglosachsonici*, 21 *Germanici*, 11 *Byzantini* et 59 integri ac 62 confracti *dirhemi*. Hi constabant ex a) 17 Abbasidicis, cusis a. 155 (771, 2) el-Muhammediae, Nisaburae a. 194 (809, 10), Samerrae a. 251 (865, 6), Samerqandae a. 261 (873, 4) et 270 (883, 4), in Urbe salutis a. 328 (939, 40); b) 1 Tahiridico, a. 233 (847, 8) fabricato; c) 1 Soffaridico, cuso in Faris a. 289 (901, 2); d) 1 Buwejhidico, a. 341 (952, 3); e) 3 Hamdanidicis, a. 329 (940, 1) in el-Mausil, et in Urbe salutis a. 330 (941, 2) et 331; et f) Samanidicis, qui reliquam efficiebant partem, dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, a. 283—340 (896—952) el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Nisaburae et Bukharae procusis (Inv. 662).[1]

93. *Taksten, paroeciae Lärbro* (Läderbro) (1854). Quatuor, in spiram contorti, argentei bacilli et 148 *dirhemi* (quibus quatuor inerant fragmenta), pondere 1,⁸ librae, una reperti sunt. Duobus Abbasidicis exceptis, qui el-Kufae a. 146 (763, 4) et Samerqandae s. a. erant fabricati, reliqui omnes dirhemi Samani-

1) Hildebrand, l. l. pag. LII, n. 47.

dici erant, a. 281—320 (894—932), dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben Ahmed in urbibus el-Schasch, Samerqand, Enderaba, Nisabur, el-Bejar et Balkh cusi. Hos inter magnam similium vim inesse, observandum est. (Inv. 677).

94. *Larsarfve, paroeciae Ahlskog* (1836). In agro varia collarium, bacillorum cet. segmenta et 218 numi, partim integri, partim confracti, collecta sunt. Aderant 67 *Anglosachsonici*, 2 *Suecani*, 131 *Germanici*, 1 *Byzantinus* et 16 *Cufici*, quorum 12 fragmenta modo erant. Hi fuerunt: a) Oqailidicus, in el-Mawsil a. 354 (965) cusus; b) Buwejhidici fragmentum; c) 4 Samanidici, ab Ismailo ben-Ahmed, Nasro ben-Ahmed et Mansuro ben-Nuh, el-Schaschae a. 286 (899) et 324 (935, 6) ac Samerqandae a. 359 (969, 970) fabricati. Omnia, pondere 32 lothorum, a museo regio emta sunt. (Inv. 726).[1]

95. *Risungs, paroeciae Ruthe* (1837). In fossa circa agrum ducenda, thesaurus argenti, 33 lothorum pondere, in lucem venit, qui annulum comprehendebat majorem, varia bacillorum atque ornamentorum segmenta et circiter 140 numos, quorum 88 erant *Anglosachsonici*, 1 *Suecanus*, 48 *Germanici*, fragmentum *Byzantini* parvum, et 5 *dirhemi*. Ex his unus modo integer, ceteri fragmenta erant. Praeter Abbasidicum, post a. 159 (775, 6) in Urbe salutis cusum, omnes Samanidici, a Nasro ben-Ahmed et Mansuro ben-Nuh dynastis, alter Samerqandae a. 322 (933, 4), alter a. 359 (969, 70), ceteri sine a. et l., procusi erant. (Inv. 766)[2].

---

1) Hildebrand, l. l. pag. LIII, n. 48.

2) Hildebrand, l. l. pag. LIV, n. 49.

96. *Paroecia Garde* (1827). In agro fodiendo 12 integri et 4 dirupti *dirhemi* sunt, quos museum regium emit. Omnes Samanidici erant, a. 284—335 (893—947) ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, el-Schaschae, Samerqandae, Nisaburae et Bukharae fabricati. (Inv. 750).

97. *Petes, paroeciae Öija* (1832). In agro lapidoso a variis hominibus, sphitamae tantum altitudine sub terrae superficie collectae sunt: duae capsulae aeneae, altera 10 baccas argenteas majores et duo aliorum ornamentorum frustula continens, altera 1376 integros et 33 fractos complectens numos una cum 52 bacillorum ornamentorumque segmentis. E numis 927 erant *Anglosachsonici*, 6 *Irlandici*, 119 *Danici*, 300 *Germanici*, 5 *Ungarici*, 1½ *Byzantini* et 13 *Cufici*. Hi denique erant: a) Abbasidicus, Samerqandae a. 204 (819, 20), b) Bulgharicus, e moneta Suwari a. 338 (949, 50); c) numus Ilekorum Turkestanae, a. 393 (1002, 3) Bukharae; d) Samanidici, reliqui omnes, a Nasro ben-Ahmed, Abd-el-Meliko ben-Nuh, Mansuro ben-Nuh et Nuho ben-Mansur, a. 313—366 (925—977) in Maden, Samerqandae et el-Schaschae cusi. Omnia, pondere 174½ lothorum, a museo regio emta sunt. (Inv. 792).[1]

98. *Stahle, paroeciae Rohne* (1838). Quum fossa circa agrum foderetur, tantus argenti thesaurus in conspectum venit, ut pondere 552 loth. æquaret. Ex quo fragmenta ornamentorum aliquot et 1211 numi, pondere 145 lothorum, selecta, a museo regio redemta sunt. Iis inerant: 451 *Anglosachsonici*, 7 *Irlandici*, 1 *Suecanus*, 3½ *Norvegici*, 145 *Danici*, 599 *Germanici*, 2

---

1) Hildebrand, l. l. pag. LV n. 50.

Ungarici et 2 *Cufici*, ambo Abbasidici, in Urbe salutis cusi, alter a. 152 (769), alter a. 320 (932). (Inv. 803).[1]

99. *Thomasarfve*, *paroeciae Eistad* (1838). In agro inter arandum fere 2000 varii generis numi medii aevi inventi sunt, quibus aliquot *dirhemorum* minoris momenti antiquiorum frustula et ornamenta intererant. (Inv. 814).[2]

100. *Bonsarfve, paroeciae Wamblingbo* (1839). Quum ager novalis perfoderetur, magna numorum *Cuficorum*, catenarum et bacillorum confractorum vis reperta est, ex qua museo regio seligebantur: parvus bacillus quadrangularis, in spiram convolutus; fragmenta aliquot catenae plectilis, quadrangularis; lamina in medio perforata; 32 integri et 4 confracti dirhemi. Hi erant: a) 2 Abbasidici, cusi, alter in Urbe salutis a. 296 (908, 9), alter khalifâ Muqtediro; b) Buwejhidicus, a. 336 (947, 8) el-Basrae, et c) Samanidici, regnantibus Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, a. 290—343 (902—955) el-Schaschae, Samerqandae, Nisaburae et Bukharae fabricati. (Inv. 800).

101. *Halfvans*, *paroeciae Garde* (1839). Qui humum, e margine agri in fossam inter arandum delapsum, in arvum rejiciebant, bacillum argenteum complicatum, 251 numos *Cuficos* integros et 41 frusta ejusdem generis, per terram dispersa, pondere 60¾ lothorum, collegerunt. Dirhemi erant: a) 3 Abbasidici, cusi in Urbe salutis a. 299 (911, 2) et Samerqandae a. 279 (892, 3) et 296 (908, 9); b) Samanidici, quos Ismail ben-Ahmed, Ah-

1) Hildebrand, l. l. pag. LVI, n. 51.

2) Hildebrand, l. l. pag. LVII, n. 52.

med ben-Ismail et Nasr ben-Ahmed dynastae cudendos curaverant. Maxima pars e moneta urbium el-Schaschae ac Samerqandae exierant, ita ut ex illa, a. 281—319 (894—932), ex hac a. 283—320 (896—932) fere non interrupta annorum series procederet. Ceterae urbes monetales, qui hic occurrebant, fuerunt: Nisabura a. 294 (906, 7) et 306 (918, 9), Balkh a. 293 (905, 6), 296 (908, 9), 298, 312 (924, 5) et 317 (929, 30), Enderaba a. 296, 301—303 (913—916), 305, 306, 310 (922, 3) et 311, Maden a. 310 et Ferghana a. 315 (927, 8). Similium magna vis inerat. (Inv. 847).

102. *Quarna, paroeciae Eskelem* (1839). In luco quum foderetur, in arena sub arboris radice foramen apparuit, in quo duo ornamenti cujusdam argentei frustula et multi numi, pondere 34¼ lothorum, occulta jacebant. Ex his numi 137 idonei museo regio selecti, 16 lothorum ponderis, qui erant: 118 *Anglosachsonici*, 5 *Suecani*, 2 *Byzantini* et 12 *Cufici*. Qui e dirhemis constabant a) 3 Abbasidicis, cusis in Ras el-Ain sub Muqtediri khalifatu, in Arradjan a. 329 (940, 1), et tertio, khalifa Radhio. Hic inter cudendum subsiluit. b) Hamdanidicis, e moneta el-Rahabae a. 350 (961, 2) et el-Rafiqae a. 356 (966, 7) et c) Samanidicis, a. 283—302 (896—915) el-Schaschae, Samerqandae et Enderabae, ab Ismailo ben-Ahmed, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr (s. a. et l.) fabricatis. (Inv. 824).[1]

103. *Guffride, paroeciae Ahlskog* (1839). In prato, quod excultum erat, quum fossa foderetur, pedem modo sub terrae superficie, in humo inventa sunt: collare tripliciter consertum cet. et 221 integri numi, una cum fragmentis eorum aliquot, pondere

1) Hildebrand, l. l. pag. LIX, n. 53.

$33\frac{1}{2}$ lothorum. Praeter 8 *Anglosachsonicos*, 222 *Germanicos* et 2 *Byzantinos*, 8 integri et aliquot rupti aderant *dirhemi*, quorum unus erat Abbasidicus, a khalifa Radhio procusus, reliqui omnes Samanidici, ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed, a. 285—326 (898—938) el-Schaschae et Samerqandae fabricati. (Inv. 840).[1]

104. *Tipsarfve* (1839). Quum fossa per agrum duceretur, tria annuli argentei fragmenta, 38 integri et 16 confracti *numi Cufici* sunt reperti. Erant a) 2 Abbasidici, ambo khalifa Radhio, el-Basrae a. 322 (933, 4) et 327 (938, 9) cusi; b) 1 Buwejhidicus, in Tuster min-el-Ahwaz, a. 342 (953, 4), c) numisma Emiri Khorasanae, e posteris Abu-Daudi, Enderabae a. 269 (882, 3) et d) Samanidici, a. 283—341 (896—953), dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Balkhae, Bukharae et in Maden fabricati. (Inv. 846).

105. *Prope viam publicam inter Wamblingbo et Sundre paroecias* (1839). In arenaria collecta sunt: acus fibulae longior, ornamentis praeditus impressis et in armillam complicatus; ejusmodi acus minor, eadem ratione conformatus; armilla crassior, quae ab utraque parte in serpentis caput finiens, ornamenta ostendebat varia incusa; patina parva, $3\frac{1}{2}$ pollicum diametri; armilla simplex, e bacillo quadrangulari, cujus extremitates per nodum conjunctae erant, confecta; segmentum duos pollices longum bacilli crassioris, multangularis, cui ornamenta erant incusa; 36 bacilli, diversi moduli, in spiram omnes convoluti; 6 frustula talium bacillorum; fragmentum, septem pollices longum, collaris majoris,

1) Hildebrand, l. l. pag. LX, n. 34.

e duobus filis contorti; 1923 partim integri, partim diffracti *dirhemi*. Pondus totius 16,[16] libras effecit. Maxima numorum pars e Samanidicis constabat, qui, numero 1500, inde ab anno 280 (893, 4) usque ad annum 346 (957, 8) erant procusi, sub Ismailo ben-Ahmed, a. 280—296 (893—908) el-Schaschae, Samerqandae, in Merw, Balkhae, in Khottel, Enderabae, Nisaburae et in Maden; sub Ahmedo ben-Ismail, a. 291—302 (903—915), el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Balkhae et Nisaburae; sub Nasro ben-Ahmed, a. 283—331 (896—943), el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Nisaburae, Balkhae et in Maden; sub Nuho ben-Nasr, a. 332—343 (943—955) Bukharae, el-Schaschae, Samerqandae, Balkhae, Nisaburae et in Maden, et sub Abd-el-Meliko ben-Nuh, a. 343—346 (954—958) Bukharae, Samerqandae et el-Schaschae. Praeter hos inerant Umajjadici tres, e quibus unus modo legi poterat, Suq-Morrae a. 86 (705) procusus; Abbasidici, a. 188—332 (803—944) in Urbe salutis, el-Basrae, el-Kufae, in Wasit, Samerrae, Omman, el-Mawsil, Armenia, el-Muhammediae, in Faris, Schirazi, Balkhae, Samerqandae, el-Schaschae, et Damasci; Tahiridici, a. 242—253 (856—867) in Merw et Samerqandae; Buwejhidici, a. 324—344 (935—956) el-Basrae, Sirafi, Schirazi et in Suq-el-Ahwaz, Soffaridicus, a. 382 (992, 3) et Bulgharicus, in Suwar a. 338 (949, 50) procusus. (Inv. 881).

106. *Taksten, paroeciae Lärbro* (1840). In agro dum fodiebatur, juxta segmentum extremum massae aeneae, digiti crassitie, 6 integri et 2 fracti numi *Cufici* Samanidarum inventi sunt, Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed dynastis, a. 283—310 (896—923) el-Schaschae et Samerqandae cusi (Inv. 899). Paullo post eodem loco 23 alii *dirhemi* Sama-

nidici, ab iisdem dynastis, a. 283—308 el-Schaschae, Samerqandae et Enderabae fabricati, sunt reperti (Inv. 952).

107. *Hummelbos, paroeciae Burg* (1840). In sepulcro antiquo (kämpagraf), e lapidibus exstructo, apparuerunt: tres armillae, quae e bacillis planis confectae erant, fragmentum massae argenteae, $1\frac{5}{8}$ polic. longum, et 188 *numi Cufici*, quibus 106 fragmenta intererant. Erant: a) Umajjadici 10, qui a. 87—128 (705—746) e moneta Damasci, Saburi et Wasitae prodierant; b) 77 Abbasidici, a. 136—227 (753—842) el-Kufae, el-Basrae, in Urbe salutis, el-Muhammediae, in el-Rej, Arran, Isbahanae, el-Haruniae, in Maden-el-Schasch, in Zerendj, Merw, Balkhae, Samerqandae, in Africa, el-Abbasiae; c) Umajjadici Hispaniae 2, a. 163 (779, 80) et 165 in el-Andelus (Cordubae) fabricati; d) 9 Idrisidici, cusi Bedaae et Welilae, quorum duo modo annos 175 (791, 2) et 182 (798, 9) ostendebant; e) 2 Tahiridici, e moneta el-Schaschae (a. 22*) et Samerqandae et f) 10 Samanidici, quos Ismail ben-Ahmed, Ahmed ben-Ismail, Nasr ben-Ahmed, Nuh ben-Nasr et Abd-el-Melik ben-Nuh in urbibus el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae et Bukharae cudendos curarunt. (Inv. 902).

108. *Praedium sacerdotale paroeciae Ahlskog* (1840) In agri humo inter vasorum figulinorum fragmenta, globulus aeneus, acus ejusdem metalli in duas partes fractus, et 29 integri et 19 confracti *dirhemi* sunt collecti. Hi fuerunt: a) Abbasidicus, khalifae Mutasimi; 2) Hamdanidicus, a. 354 (965) in urbe Mejjafareqin, et c) Samanidici, a. 282—341 (895—953), imperantibus Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, el-Schaschae, Samerqandae et Enderabae procusi. (Inv. 917).

109. *Austers, paroeciae Hangvar* (1841). In agri humo armilla lunaris, segmenta minoris momenti duorum annulorum, extrema annuli majoris pars et 29 numi una sunt inventa. Inter 12 *Anglosachsonicos* et 13 *Germanicos* seculi undecimi exeuntis erat *dirhem* Tahiridicus a. 247 (861, 2) el-Muhammediae procusus. Omnia 9⅓ lothorum pondere a museo regio emta sunt. (Inv. 949).[1]

110. *Taksten, paroeciae Lärbro* (1841). In agro juxta fibulam aeneam oblongam, frustula ornamentorum ejusdem metalli et numisma *Germanicum*, 147 *dirhemi* reperti sunt. Praeter Abbasidicum, el-Kufae a. 313 (925, 6) et Tahiridicum, a. 238 (852, 3) Samerqandae, cusos, omnes Samanidici erant, qui dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Mikailo ben-Ahmed, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, a. 281—334 (894—946) e moneta el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Balkhae et Nisaburae prodierant. (Inv. 969).

111. *Lilla Klintegårda, paroeciae Weskinde* (1842). Homines, radicibus ad picem excoquendam effodiendis in silva occupati, in scrobe minore crucifixum offenderunt, arte rudiore confectum et annulo appensum, 7 ornamentorum frustula, et 581 numos, quae omnia, pondere 58 lothorum, a museo regio emta sunt. E numis 554 fuerunt *Germanici*, 17 *Anglosachsonici*, 5 *Danici*, 1 *Byzantinus* et 5 *Cufici* confracti, quorum unus Abbasidicus rarior, a. 327 (938, 9) el-Rafiqae fabricatus, tres Samanidici, e quibus duo e moneta prodierant Samerqandae, et unus falsus. (Inv. 980).[2]

1) Hildebrand, l. l. pag. LX, n. 55.

2) Hildebrand, l. l. pag. LXI, n. 56.

112. *Kattlunds, paroeciae Gröttlingbo* (1842). In fossa circa agrum ducenda magnus argenti thesaurus in conspectum editus est, qui cum variis ornamentorum, bacillorum e. s. p. frustulis, 1554 numos (fragmenta, si cufica exceperis, hic non memorata sunt) continuit, in quorum numero inerant: 505 *Anglosachsonici*, 6 *Danici*, 1032 *Germanici* et 10 *Cufici* integri et 13 ejusdem classis segmenta. Hi fuerunt: a) 2 Abbasidici, a. 169 (785, 6) el-Abbasiae et a. 296 (908, 9) el-Rafiqae; b) 5 Samanidici integri, Samerqandae a. 294 (906, 7), 300 (912, 3) et 329 (940, 1), a. 333 (944, 5) a Nuho ben-Nasr, et a. 364 (974, 5) el-Schaschae a Mansuro ben-Nuh procusi, praeter 12 ejusdem dynastiae dirhemorum fragmenta, quorum unum annum 328 (939, 40), duo urbem Samerqandae, plurima Nasr ben-Ahmed monstrabant, et numum plane oblitteratum; c) Soffaridicus, a. 285 (898, 9), d) Sadjidicus, a. 302 (914, 5) in Armenia a Jusufo ben-Diwdad; d) Numus Ilekorum Turkestanae in Uschkend a. 392 (1001, 2) et e) Buwejhidicus, ab Adhed-el-daula cusus. (Inv. 999).[1]

113. *Ring, paroeciae Hejnum* (1842). Quum fossa per agrum duceretur novalem, *dirhem* Samanidicus, a. 300 (912, 3) el-Schaschae ab Ahmedo ben-Ismail cusus, repertus est. (Inv. 985).

114. *Godrings, paroeciae Ganthem* (1842). In terra novali, dum arabatur, duo numi *Cufici* collecti sunt, quorum alter Samanidicus, a. 297 (909, 10) ab Ahmedo ben-Ismail el-Scha-

1) Hildebrand, l. l. pag. LXI, n. 57.

schae procusus, alter falsus, nomine Nasri ben-Ahmed insignitus, erat. (Inv. 1829).

115. *Thune, paroeciae Wiklou* (1843). In sepulcro vetusto, e lapidibus exstructo, inter cineres et ossa combusta 4½ numi *Cufici* sunt reperti, quorum 4 Abbasidici erant, a. 151 (768, 9) et 187 (802, 3) el-Muhammediae a. 167 (783, 4) et in Maden el-Schasch a. 190 (805, 6), et Tahiridicus, a. 253 (867) in Merw cusus. (Inv. 1080).

116. *Stora Bjers, paroeciae Stenkyrka* (1843). Quum limes agri effoderetur, per terram dispersa apparuerunt: 12 bacillorum, filorum cet. frustula, 10 numi *Germanici* Ottonis et Adelheidae, duo integri et tres confracti *dirhemi*, e quibus tres Samanidici legi poterant. Duo ab Ahmedo ben-Ismail Samerqandae a. 294 (906, 7) et el-Schaschae a. 300 (912, 3), tertius vero a Nasro ben-Ahmed in Balkh a. 311 (923, 4) cusus erat. (Inv. 1060).

117. *Paroecia Öija* (1843). Junipero in agro sublato, 248 numi, pondere 23⅔ lothorum (fragmentis non numeratis) adhaeserunt, quorum 12 erat *Anglosachsonici*, 231 *Germanici*, 3 *Ungarici* et 1½ *Cufici*, alter Abbasidicus, a. 192 (807, 8) cusus, alter Samanidicus, a Mansuro ben-Nuh Samerqandae a. 357 (967, 8) fabricatus. (Inv. 1059).[1]

118. *Findarfve, paroeciae Rohne* (1843). Quum in angulo acervi lapidum majoris, in agro congesti, foderetur, capsula aenea apparuit, quae, praeter bacillorum atque annulorum frustula,

---

1) Hildebrand, l. l. pag. LXII, n. 58.

3404 integros numos et 150 eorum fragmenta continuit, pondere 320 lothorum. Inerant 340 *Anglosachsonici*, 6 *Irlandici*, 2 *Suecani*, 1 *Norvegicus*, 37 *Danici*, 3004 *Germanici*, 8 *Ungarici* et 6 integri una cum 13 diffractis *dirhemis*, qui partim Abbasidici, seculi octavi ineuntis, partim Samanidici, seculi noni ineuntis erant, et Merwanidicus rarissimus, seculi decimi exeuntis. (Inv. 1076).[1]

119. *Wisby* (1844). In horto, qui in urbis parte septentrionali jacet, numus *Cuficus aureus* (dinar) repertus est. Anno 516 (1122, 3) Ischbilijjae (Hispali), ab Alio ben-Jusuf, rege Murabitorum, cusus, ansulam, qua instar ornamenti portaretur, habuit annexam. (Inv. 1123).

120. *Palus Fardume* (1844). Ad oram paludis orientalem Nicolaus Dahlström, paedagogus paroeciae Helvik, tres armillas argenteas grandiores, e bacillis rotundis, in spiram contortis, compositas invenit, quae ab altera parte globulum, ab altera ansulam habebant, una cum 1154 integris et 8 fractis *dirhemis*. Hi, pondere 253⅞ lothorum, oblitteratis et similibus abductis, 265 dabant numos, e quibus a) 1 Umajjadicus, a. 122 (739, 40) in Wasit cusus, erat; b) 135 Abbasidici, qui annis 133—262 (750—876) e moneta prodierant urbium el-Basrae, el-Kufae, Urbis salutis, el-Rafiqae, el-Raqqae, el-Rej, el-Muhammediae, Kerman, Adherbidjan, Zerendj, Balkh, Isbahan, Arran, Berdaae, Armeniae, Taberistan, Maden Bakhines, Samerqandae, Maden el-Schasch, el-Schaschae et Misr; c) 96 Tahiridici, a. 209—253 (824—867), in Faris, Merw, el-Muhammediae, Samerqandae, Is-

---

1) Hildebrand, l. l. pag. LXIII, n. 59.

bahanae, el-Schaschae et in Qomm cusi; d) 25 Samanidici, a. 281—309 (894—919) in el-Schasch, Samerqandae et Enderabae, et e) 1 Soffaridicus, a. 256 (869, 70) in Faris fabricatus. Fere tertia totius thesauri pars e Tahiridicis constabat, qui alias non nisi rari occurrunt. Unus modo falsus intererat. (Inv. 1124).

121. *Gerete, paroeciae Fardhem* (1845). Inter arandum in agro veteri magnus argenti thesaurus in lucem editus est. Aderant varia ornamenta, bacillorum frustula circiter 100 et 1679 numi integri una cum magna diffractorum ejusmodi vi. Ex iis numerabantur: 610 *Anglosachsonici*, 7 *Irlandici*, 2 *Suecani*, 92 *Danici*, 925 *Germanici*, 2 *Ungarici*, 4 *Byzantini* et 46 *Cufici* (quibus 19 inerant fragmenta). Octo sepositis, e quibus nil explorari poterat, 48 supererant, qui, in varias classes distributi, ex his dirhemis constabant. 1) 2 Umajjadici erant, in Mahi (Hamedan) a. 90 (708, 9) et Wasit a. 109 (727, 8) cusi; 2) 3 Abbasidici, qui e moneta el-Rafiqae, el-Basrae (a. 3..) et Urbis salutis (a. 322=933) prodierant; 3) 1 Pehlevicus Sassanidicus, nomine Khusrubi insignitus; 4) 3 Tahiridici, in Isbahan a. 224 (836, 7), Hamedan a. 225 (839, 40) et el-Muhammediae a. 226 (840) procusi; 5) 27 Samanidici, a. 285—356 (898—967), dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismaïl, Nasro ben-Ahmed, Nuho ben-Nasr et Mansuro ben-Nuh, in el-Schasch, Samerqand, Bukharae et Enderabae cusi; 6) 1 Zijaridicus Bistuni, in Esterabadh a. 366 (976, 7) fabricatus, unicus adhuc in Suecia repertus; 7) 1 Buwejhidicus, e moneta Schirazensi a. 333 (944), 8) 3 Hamdanidici, in Urbe salutis a. 330 et 331 (942); 9) 1 Ikhschididicus, Damasci a. 333 (944, 5); 10) 3 Oqailidici, in el-Mawsil circ. a. 380—390

(990—1000) et 11) 3 Merwanidici, in Meijafareqin (unus modo annum 383=993, 4 servabat) cusi. (Inv. 1219).[1]

122. *Prope Wisbyam* (1845). ⅛ milliare ab urbe 12 *dirhemi* lecti sunt, quorum 1 Abbasidicus, e moneta Urbis salutis a. 164 (780, 1), ceteri Samanidici a. 283—322 (896—934) in el-Schasch et Samerqand cusi erant. In collectione bibliothecae gymnasii wisbyensis exstant.[2]

123. *Paroecia Bunge* (annus non notatus). E numis hic una inventis, bibliotheca wisbyensis 5 *dirhemos* coëmit: 1 Umajjadicum, cusum in Wasit a. 123 (740, 1), 2 Abbasidicos, in Urbe salutis a. 14*, et Samerqandae a. 201 (816, 7), 1 Tahiridicum, Samerqandae a. 209 (824, 5) et 1 Soffaridicum, a. 280 (893, 4) in Arradjan fabricatum.[3]

124. *Kyrkeby prope templum paroeciae Ethelheim* (1845). In agro lapidoso, quum solanum plantaretur, longior, in spiram convolutus, bacillus argenteus et quatuor integri ac 3 fracti *dirhemi* una sunt collecti. Duobus falsis exceptis, e Samanidicis constabant, qui a. 294 (906, 7) Enderabae, a. 296 et 299 Samerqandae, a. 309 (921, 2) et 339 (950, 1) erant fabricati. (Inv. 1220).

125. *Sudergårda, paroeciae Helvik* (1846). In agro juxta vasis figulini fragmenta, inventa sunt: duo annulorum plectilium frusta, 10 numi *Germanici*, seculi X, 37 integri *dirhemi* et 28 eorum segmenta. Inerant: a) fragmentum Umajjadici, cusi

1) Hildebrand, l. l. pag. LXIV, n. 60. Cfr. *Nova Acta Reg. Societ. Scient. Upsal.*, T. XIII, p. 105 sq.

2) Mag. J. Enequist, Lector gymnasii wisbyensis de hac re me fecit certiorem.

3) Eidem Enequistio Lectori auctori etiam haec debeo.

in Wasit; b) 4 Abbasidici, cusi in el-Rej a. 147 (764, 5), el Abbasiae a. 16*, Balkhae a. 198 (813, 4) et el-Basrae a. 330 (941, 2); c) 2 Tahiridici, alter a. 24* Samerqandae, alter s. l. a. 249 (863, 4) fabricatus; d) 1 Bulgharicus, e moneta Suvari a. 338 (949, 50); e) 4 monstra et numisma nondum cusum; ac f) reliqui Samanidici, dynastis Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed et Nuho ben-Nasr, a. 283—340 (896—952), el-Schaschae, Samerqandae, Enderabae, Bukharae et Balkhae procusi. (Inv. 1280).

126. *Nähr, paroeciae Othem* (1846). Inter duos lapides, alterum alteri inclinatos, in agro apparuerunt, duo numi *Byzantini* Constantini XI et Romani II, et 136 *Cufici*, qui erant: a) 11 Abbasidici, qui in Urbe salutis a. 193 (808, 9), 236 (850, 1), 246 (260, 1), 285 (898, 9), 292 (904, 5) et 315 (927, 8), in Armenia a. 267 (880, 1), el-Rafiqae a. 294, Samerqandae a. 321 (933) et in Suq-el-Ahwaz a. 325 (936, 7) erant cusi; b) Samanidici, reliqui omnes, ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail et Nasro ben-Ahmed, a. 280—320 (893—932) in el-Schasch, Samerqandae, Balkhae, Nisaburae, in el-Bejar, Maden, Bukharae et Enderabae fabricati. (Inv. 1319).

127. *Prope Endre* (1846). Quum ut hypogaeo locus fieret terra effoderetur, quatuor pedes sub soli superficie inter ossa humana inventa sunt: duo enses, duo cultri, totidem lanceae cuspides et catenae frustula, omnia e ferro, 3 fibulae minores aeneae, acus globulo munitus et clavis ejusdem metalli, una cum ferramentorum ex aere fragmentis momenti minoris et 46 baccis, quarum plurimae ex argilla, aliquot ex electro, igne laesae erant. Simul 2 integri et 4 confracti *dirhemi* Samanidici inventi sunt, cusi in

el-Schasch, a. 297 (909, 10), et Enderabae a. 284 (897, 8), 294 (906, 7), 297 et 303 (915, 6). (Inv. 1306).

128. *Inter Wisbyam et Endre* (1847). In terra juxta lapidem magnum in conspectum venerunt: ornamentum parvum, bracteato simile, 24 annulorum plectilium, ornamentorum variorum, bacillorum ac filorum frustula, 17 numi *Anglosachsonici* Aethelredi, 9 *Germanici* oblitterati, 10 Anglosachsonicorum Germanicorumque fragmenta, et 5 *Cufici*, quorum unus tantum integer fuit. In his inerant: a) 2 Abbasidici juniores, e quibus unus annum 288 (900, 1) ostendebat; b) 2 Samanidici, alter a. 283 (896, 7), alter sub Nasro ben-Ahmed cusus, et c) 2 Merwanidici, s. l. et a. (Inv. 1337).

c. Provinciae Sueciae Occidentales.

Dahlslandia.

129. *Tillhagen*, *paroeciae Bolstad in territorio Sundal* (1819). In terra fodienda, varia ornamenta argentea, partim integra, partim rupta, pondere 54 lothorum, et 315 numi inventi sunt, quorum 86 erant *Anglosachsonici*, 225 *Germanici* et 4 *Cufici* Samanidici, cusi el-Schaschae a. 285 (898, 9), 300 (912, 3), 29* et 308 (920, 1); unus modo nomen Ahmedi ben-Ismail habuit. (Inv. 428).[1]

Dalekarlia.

130. *Supra cupri fodinam* (Kopparberget) *numus Arabicus* anno 1674 inventus narratur.[2]

---

1) Hildebrand, l. l. pag. LXVII, n. 62.

2) Liljegren, l. l. pag. 166, n. 22. Fortasse idem est, de quo loquitur Hadorph, a Car. Aurivillio citatus in *Novis Actis Reg. Soc. Scient. Ups.*, T. II, p. 79.

Nericia.

151. *Silva haud procul ab urbe Örebroga* (1662?). Rusticus dum arbores caedere quaerit, numos *Arabicos* in magna copia invenit. Joh. Schefferus, qui rem retulit,[1] imaginem unius male delineavit, ex qua tamen apparet, Samanidicum Ismailis ben-Ahmed hunc fuisse.

Bahusia.

152. *Ad amnem Quistrum* (1823). Duo numi *Cufici* una inventi sunt.[2]

Hallandia.

153. *Pagus Stafsinge, paroeciae Stafsinge in territorio Fallrås* (1833). Simul reperti sunt duo annuli, major ac minor, frusta ornamentorum plectilium, variarum rerum, maximam partem malleo diductarum, fragmenta et 25 *dirhemi*, quorum 7 modo integri erant. Pondus totius thesauri 0,[87] Libras effecit. E numis unus erat Soffaridicus, a. 269 (882, 3) Nisaburae cusus, reliqui Samanidici, qui a. 286—303 (899—916) e moneta el-Schaschae, Samerqandae atque Enderabae prodierant, una cum falso. (Inv. 614).

154. *Ad arcem urbis Halmstad* (1846). Armilla, e bacillo in spiram convoluto facta, 9 segmenta annulorum, 6 bacillorum frusta, omnia ex argento, reperta sunt. Una apparuerunt 29 *dirhemi*, quorum 14 fragmenta modo erant. Fuerunt: a) 1 Tahiridicus, a. 250 (864 5) in Faris; b) Soffaridicus, a. 283 (896, 7) in Schiraz, c) 2 falsi et d) reliqui Samani-

---

1) *Upsalia*, *Ups. 1666*, pag. 149. Cfr Liljegren, l. l. pag. 165, n. 13.

2) Liljegren, l. l. pag. 253, n. 543.

dici, a. 290—319 (902—932) el-Schaschae, Samerqandae, Bukharae et Enderabae cusi. (Inv. 1315).[1]

Quae ex tot ac tantis antiquitatis reliquiis aliisque, quorum memoria periit, adhuc supersunt monumenta, ea maximam partem in *Regio Numophylacio*, quod regio antiquitatum museo Holmiae est adjunctum, asservantur. Aliae, quae mihi innotuerunt, numorum cuficorum in Suecia collectiones hae sunt: 1) Numophylacium regiae universitatis *upsaliensis*, quod, post Hallenbergianum ei conjunctum, circiter 500 dirhemos et dinaros, et, si similes deduxeris, plus 240 ejusmodi servat, inter ceteras eminet. Intersunt quidem Umajjadici Hispaniae, e quibus 40 numerat, admodum multi, qui in Suecia non reperti sunt; haud pauci tamen

---

1) Notissimum est, numos cuficos non raro inveniri in *Russia* (vid. Fraehn, *Topographische Uebersicht d. Ausgrab. von altem arabischen Gelde in Russland*, cet. in *Neuer Samml. Kleiner Abhandl. Leipz. 1844*, pag. 49. seqq.), in terris *Germaniae*, mari balthico propinquis (H. E. v. Minutoli, *Topogr. Uebers.* cet. *Berlin* 1843) et in *Dania*. In *Norwegia* rarissime reperti sunt. Quum de his, qui in exteris terris inventi sunt, dirhemis, jam nihil aliud proferre valeam, quam quod alii doctissime antehac enarraverint, eos nunc mitto, paullum modo de *norwegicis* dicturus, qui eandem praebent rationem, ac nostri, in Suecia occidentali reperti. Cl. Chr. A. Holmboe, Professor in universitate Christianiae celeberrimus, mihi hos benigne indicavit: 1) *Böröe*, *Vertcraalen* in *provincia Nordlanden* (36 abhinc annis). Samanidicus, cusus el-Schaschae a. 291 (903,4) in tumulo sepulcrali repertus, cet. 2) *Coemeterium paroeciae Stördalen*, *haud procul a Throndhjem* (circ. 30 abhinc annis). Dirhem Samanidicus, a. 333 (944,5) erutus est. 3) *Aarstad prope Egersund* (1836). Una cum multis aliis (MD) medii aevi numis etiam 4 fragmenta dirhemorum Samanidicorum inventa sunt. His annumerat cl. Holmboe hos, quos postea accepit: 2 Samanidicos, cusos Samerqandae a. 287 (900) et 344 (955,6) et Abbasidicum, a. 314 (926,7) el-Basrae cusum. Cfr. Ejusdem Programma *De numis MD medii aevi in Norvegia nuper repertis*, *Christ. 1837*. 4) *Coemeterium Fredrikshaldi* (1841). Hic Umajjadicus, a. 125 (742,3) Vasitae cusus, erutus est.

ex hac apud nos rarissima classe certo e nostra terra sunt eruti. Idem fere valet de aliquot aureis Fatemidicis, qui praeter unicum ex exteris regionibus huc illati sunt omnes. — 2) Regia universitas *Lundensis* 66 possidet dirhemos, quorum plurimi in Scania sunt effossi. 3) Bibliotheca Regii Gymnasii *Wisbyensis*, cura cl. Johannis Enequist, Lectoris meritissimi, circ. 90 habet dirhemos, in Gothlandia inventos, quibus plurimi insunt rarissimi, imo unici. 4) Mag. Car. Joh. Bergman, Collega scholae wisbyensis, fere 60 collegit dirhemos, praecipue Samanidicos, omnes diversis locis in terra Gothlandiae repertos. Adsunt praeterea in variis Gymnasiorum bibliothecis et apud homines privatos exemplaria dirhemorum minoris momenti, quae, si nondum mihi cognita sunt, parum valent ad eas mutandas observationes, quas ex collectionibus mihi notis, et qua fide potui, a me examinatis desumtas jam in medio proponam.

Ante quam vero hanc rem adgredior, gratum legentibus habui futurum, si indicem iis ante oculos posuero eorum dirhemorum, quos in regio numophylacio adhuc desideratos, in aliis inveni collectionibus, ut in eodem loco universi ejusmodi jam noti thesauri simul inveniantur. Ad classes catalogi revocati hi sunt:

Classis I. Umajjadici.

1) Damasci anno 82. *Ups.* 2) Damasci anno 86. *Ups.* 3) Darabdjerdi anno 90. *Ups.* 4) In Kerman (i. e. el-Sirdjan) anno 91. *Ups.* 5) Darabdjerdi anno 92. *Ups.* 6) Damasci anno 99. *Ups.* 7) Damasci anno 105. *Ups.* 8) In el-Andelus (i. e. Corduba) anno 107. *Ups.* 9) In Wasit anno 118. *Ups.* 10) In Wasit anno 127. *Ups.* 11) In el-Andelus anno 130. *Ups.* 12) In Merw anno 132. *Wisbyensis.*

Classis II. Abbasidici.

1) El-Kufae anno 142. *Ups.* 2) El-Basrae anno 143. *Ups.* 3) El-Kufae anno 144. *Ups.* 4) Aureus in Urbe salutis anno 155. *Ups.* 5) In Urbe salutis anno 167. *Ups.* 6) بالمحمدية? anno 168. *Wisb.* 7) In Misr (i. e. Fostat) anno 180. *Ups.* 9) In Africa (i. e. el-Qairewan) anno 189. In Rev. supr. على, inf. الرشيد. *Ups.* 10) In Armenia (i. e. Dowin) anno 190. In Rev. supr. هرثمة بن حازم, inf. اسمعيل بن ابرهيم *Lund.* 11) El-Muhammedijjae anno 193. *Ups.* 12) Ibidem eod. anno, at ab El-Amino cusus. *Ups.* 13) Samerqandae anno eodem, at ab el-Mamuno cusus. *Ups.* 14) In Armenia anno 195. In Rev. احمد بن يزيد *Lund.* 15) In Africa anno 197. *Ups.* 16) In Urbe salutis anno 199 sine ذو الرياستين *Ups.* 17) In Samerqand anno 203, similis Numo 300ª catalogi hujus. *Wisb.* 18) Maden Bakhines anno 205. In Rev. supr. العباس بن inf. ابي ايوب *Ups.* 19) In Urbe salutis anno 212. *Ups.* 20) Samerrae anno 241. *Wisb.* 21) In Misr anno 245. *Lund.* 22) In Urbe salutis anno 247. *Ups.* 23) Enderabae anno 263. *Ups.* 24) Berdaae anno 269. *Ups.* 25) In Urbe salutis anno 279. *Ups.* 26) Ibidem anno 280. *Ups.* 27) Ibidem anno 282. *Ups.* 28) Ibidem anno 314. *Ups.* 29) In Nisaber anno 315. *Ups.* 30) In Urbe salutis anno 321. *Ups.* 31) In el-Mawsil anno 323. *Ups.* 32) In Urbe salutis anno 333. *Ups.*

Classis V. Umajjadici Hispaniae.

1) In el-Andelus (i. e. Corduba) anno 157. *Ups.* 2) Ibidem anno 162. *Ups.* 3) Ibidem anno 165. *Ups.* 4) Ibidem anno 168. *Ups.* 5) Ibidem anno 168. *Ups.* 6) Ibidem anno 173. *Ups.* 7) Ibidem anno 179. *Ups.*

Classis VI. Tahiridici.

1) In Samerqand anno 209. *Lund. Wisb.* 2) In Merw anno 214. *Ups.* 3) In Isbahan anno 222. *Wisb.* 4) In el-Schasch anno 228. *Ups.* 5) In Isbahan anno 230. *Wisb.* 6) In Faris (i. e. Schiraz). *Ups.*

Classis VII. Soffaridicus.

In Arradjan anno 280. *Wisb.*

Classis IX. Samanidici.

1) Enderabae anno 330. In Adv. inf. قراتكين *Ups.* 2) In el-Schasch anno 333. *Wisb.*

Classis XI. Bulgharicus.

In Suwar anno 3* 6. In Rev. inf. موسى بن احمد *Ups.*

Classis XIV. Buwejhidici.

1) In Ramhormuz anno 321. *Lund.* 2) Fesae anno 335. *Ups.* 3) In Schiraz anno 343. *Lund.* 4) El-Muhammedijjae anno 346. *Ups.*

Classis XV. Hamdanidici.

1) El-Kufae anno 331. *Ups.* 2) In Urbe salutis anno 334. *Ups.* 3) In Nisibin anno 360. In Rev. inf. ابو تغلب فضل الله *Ups.*

His accedit aureus fatemidicus, anno 331 el-Mehdijjae cusus, in numophylacio *upsaliensi.*

Si primum omnium tempus respiciamus, quo numi cufici, in Suecia reperti, sunt procusi, inveniemus, dirhemum etiam nunc apud nos antiquissimum eum esse, qui anno 79 (698) Damasci fabricatus est, nisi fortasse inter pehlewicos, in Taberistana cusos, vetustiores etiam offendas. Annis deinde 83—85, 101—103, 111, 114 et 115 exceptis, qui nondum in dirhemis nostris appa-

ruerunt, series haud interrupta annorum usque ad 210 (825, 6) procedit. Ex seculo hidjrae tertio anni 211, 215, 221, 254 et 265 adhuc desunt; at ab hoc demum tempore usque ad annum 344 (955, 6) singuli anni numos obtulerunt. Verum enim vero ante Samanidarum numismata, quae ab anno 280 (893, 4) incipiunt, in Sueciam importata, quasi accessus et recessus dirhemorum singulis annis apparet continuus. Ex antiquissimis plerumque unum modo aut duo quisque ostendit annus; interdum tamen plures etiamtunc occurrunt. Sic anni 86, 98, 128, 130, 133, 138: quatuor, 96, 121, 134: quinque, 95, 125: sex, 92, 136, 140: septem, 124: octo, 122: novem et 126 decem nobis dederunt numos. Post annum 140 numerus eorum aliquamdiu paullo frequentior quotannis fieri videtur, ita ut 143: novem, 144, 147 sex, 148 septem, 149 decem, 150 quindecim, 151 septem, 152 duodecim, 154, 156 novem, 160 octodecim, 161 viginti septem, 162, 164 viginti quatuor, 170 quindecim et 171 duodecim produxerit; tum denuo annua decrescit multitudo et annus 178 unicum modo dirhemum adhuc ostendit. At post annum 179 (295, 6) qui sedecim praebuit, usque ad 201 (816, 7) adsunt numerosiores, quare a. 188 quinquaginta sex et a. 192 quinquaginta duo numerare potui. Caussam tantae copiae jam hoc tempore obviae si diligentius quaesieris, eam potius in statu ipsius Orientis, ubi tunc bella inter khalifas et Graecorum imperatores gravissima pecuniam signatam flagitabant eamque in diversas orbis terrarum regiones spargebant, quam in commercio inter terras boreales et Asiam frequentiori invenies.

In tertium hidjrae seculum delati, si priorem ejus partem spectemus, eandem deprchendemus dirhemorum apud nos raritatem, quam ante annum 136 observavimus. Vis autem eorum cir-

ca a. 250 augescit; anno enim 246 cusorum viginti tres, 252 triginta tres et 253 quadraginta quinque numi apparuerunt. Tum, id quod admirationem moveat necesse est, nova recurrit diminutio, usque ad annum 281 pertinens, quae adeo invaluit, ut annus 271 in uno tantum numismate inveniretur. At quemadmodum ratio a nobis inita in genere parum sibi constat, sic hac in re quoque mire fluctuat. Nam anni 267 et 277, qui praecipue in numis Armenicis, anno 1840 in Ölandia repertis (vid. pag. XXIV n. 64) exstant, ille centum et quatuor, hic viginti duos nobis dedit dirhemos. Quamvis itaque ab anno denique 281 eorum numerus in Suecia major appareat et singulis annis frequentior, certo tamen certius statuere posse nobis videmur, commercium, quod inter Orientem et Septentrionem intercedebat, jam anni 267 vegetius fieri incepisse. Maximam deinde numorum copiam hi anni monstrarunt: 297 nonaginta novem, 298 nonaginta quatuor, 299 centum et sex, 300 centum et sedecim, 301 octoginta et 302 nonaginta sex. Ab anno 344 (955, 6), qui decem modo nobis praebuit dirhemos, ii magis magisque decrescunt, nec nisi sparsim, haud raro intervallo temporis longiore interjecto, singuli apparent, donec cum anno 401 (1010, 1) plane desinant.[1]

Spatium igitur annorum, quibus pecunia Orientis in Sueciam sit invecta, si ex illa supputatione concludere fas est, 75 modo annos comprehendit, ab anno 888 ad annum 955 post Christum natum numeratos.

Dynastiae Muhammedanae, quibus numi nostri originem debent, summam XXI jam attingunt, quae fortasse dubiis quibusdam augeri potest.[2] I. UMAJJADAE ORIENTALES, qui Damasci

1) In hac computatione similes, quos vocant, numos simul adnumeravi.

2) Qualis est Cl. II numus 490 Jusufi ibn-Wedjih, qui Ommani dynasta, contra khalifam rebellavit.

regni sedem fixerunt, inde ab Abd-el-Meliko, monetae arabicae statore, ab anno 79 (648) usque ad annum 132 (750), quo eorum cessavit imperium, numero novem in 78 numis apud nos adsunt.[1] II. Khalifae Abbasidici, qui primo el-Kufae, at inde ab anno 148 (765, 6) Baghdadi, tunc conditi, consederunt, omnes suo ipsorum nomine numos tam argenteos quam aureos cudendos curarunt, donec Radhi-billah sceptra capessunt (quae anno 329 (940) deposuit), qui, quemadmodum deinceps successores nomen solum et umbram, non vim et auctoritatem khalifatus sustinebat. Numi quidem postea khalifarum nomine signati haud rari occurrunt. Maxima tamen in his definiendis existit difficultas, quum locus saepius sit dubitandi, utrum khalifa ipse an vezirus omnipotens eos cuderit. Ad hanc classem 560 retuli numismata intra annos 132—334 (749—946) fabricata. — III. Classem propriam et singularem ii efficiunt dirhemi, qui inscriptiones aut mere pehlewicas aut pehlewicas cum cuficis adjunctas ostendunt. Quamquam plurimi, si non omnes eorum, neque cuficis neque muhammedanis numis recte adnumerantur; eam tamen ob caussam illos hic non relinquendos habui, utpote qui cum reliquis orientalibus, in Suecia erutis, reperiantur. Fere 50 ejusmodi adhuc inventi sunt, quorum alii a regibus Taberistanae e gente *Beni Dabujeh*, alii a *praefectis Arabum* in eadem Taberistana et Perside, alii a *Regibus ultimis Sassanidicis* sunt profecti. — IV. Umajjadae Hispaniae, qui Cordubae imperitabant, rarissimis apud nos adnumerandi. Septem modo ab Abd-el-Rahmano I, dynastiae conditore, qui a. 131—171 (755—787) sceptra tenuit, et duo ab Hischamo I, a. 180 (796, 7) mortuo, cusi, in nostris adsunt collectionibus. — V. Idrisidae, Alii posteri, a. 172 (788) in Africa in caurum versa s. Mauritania impe-

---

1) In hoc conspectu singuli et diversi, numquam similes numi recensentur.

rium condiderunt. Ante urbem Fes anno 191 (806, 7) aedificatam, *Welila* regni caput erat. Praeter fragmenta minuta, quae urbis at anni indiciis carebant, 12 dirhemi duorum priorum dynastiae regum, anno 174—183 (790—800) procusi, ad nostras oras sunt advecti. — VI. Inter dynastias Asiae Tahiridae aetate primum occupant locum. Numi eorum hic ab anno 208 (823, 4) incipiunt, et in anno 257 (871) subsistunt. Religione quadam ducti nomina sua hi raro numis inscripserunt, quare factum est, ut diu in classe Abbasidarum collocarentur. Ingenio Fraenii ea quoque debetur laus, ut primus hos dirhemos dignosceret et separaret, id quod modo historiae ope fieri potuit, quum sola loca, ubi cusi sunt, si Tahiridis paruerint, hanc indicant dynastiam. Antea rariores his postremis temporibus adeo creverunt hujusmodo numi, ut jam summam 140 superent. — VII. Soffaridae, ruina Tahiridarum in imperium evecti, mox eidem fato occubuerunt, ab Ismailo ben-Ahmed, Samanida illo illustrissimo, regno expulsi. Ex numis eorum, qui in Suecia sunt inventi, rarioribus et magni pretii, 32 supersunt, a. 259—293 (872—906) fabricati. — VIII. Medio seculo hidjrae tertiio *El-Hasan ben-Zeid*, assecla gentis Alidarum acerrimus, in Taberistana provinciisque huic vicinis, khalifae obedientiam renuntiaverat, et condiderat principatum, cujus domini a conditore nomen Zeididarum acceperunt. Quinque hujus *el-Hasani* numismata, a. 267—270 (880—884) cusa, et fortasse aliud, quod dubius in classe II, N:o 527 (pag. 119 catalogi hujus) posui, in hunc ordinem referenda sunt. — IX. Numi Samanidarum, omnium in Séptentrione frequentissimi, partim in Mavera-el-Nahr (Transoxana), partim in Khorasana, a. 280—367 (893—978) cusi, qui septem dynastiae principes exhibent, tam numerosi occurrunt, ut plus duas omnium inventorum partes effi-

eiant. Numerus vero numorum diversorum jam 580 aequat. Cum his falsi saepissime obveniunt dirhemi, ad diversarum dynastiarum formas, plerumque arte rudiore effícti, quorum 124 specimina varia colligere potui. Maxima pars imagines numorum gentis samanidicae prae se ferunt, id quod satis superque mihi demonstrare videtur, eos a populis barbaris, qui Samanidarum provinciis vicini habitabant, esse fabricatos. — X. In Khorasana, terra inquieta et semper seditiosa, eodem tempore quo res Samanidarum crescere coeperunt, alii quoque dynastae caput extulerunt, et, obedientia dominis renuntiata, in signum potestatis plenae numos, suo nomine insignitos, signandos fecerunt. Insunt fortasse plura hujus rei monumenta in dirhemis quibusdam secundae classis dubiis. Certe Abu-Daud quidam et posteri ejus vestigia dominationis certissima reliquerunt in 14 numis, quos, a. 264—278 (877—892) Enderabae cusos, non dubitavi in classem propriam referre. Crassitie, solita majore, quae diversum cudendi modum sine dubio indicat, et litterarum ductibus, plerumque gracilioribus, a reliquis facile dignoscuntur. — XI. Bulghari, gens ad flumen Itil (Wolga) habitans, magnam vim in commercium inter Orientem et terras septentrionales habuerunt. Ad islamismum denique conversi, principes sui juris videntur habuisse, qui dirhemos, ad Samanidarum monetam effictos, fabricarunt. Tria horum exemplaria, quae duo diversi reguli eorum medio seculo hidjrae quarto cuderunt, usque ad nos pervenerunt. — XII. Sadjidæ, qui Adherbidjan et partes Armeniae varias seculis tertio et quarto possederunt, rara suae dynastiae monumenta in numis apud nos obviis reliquerunt. Nam tertius solus gentis hujus princeps, *Jusuf ben-Diwdad ben-Abi-l-Sadj* in duobus dirhemis diversis apparuit. — XIII. Rariora

etiam Zijaridarum numismata apud nos sunt. Hi Djurdjan, Taberistan iisque vicinas provincias per partem seculi quarti et quinti varia fortuna rexerunt, donec potentiae succumberent Buwejhidarum. Unicus dirhem, a *Bistuno*, tertio dynastiae principe, qui a. 356 (966) Waschmegiro patri successerat, cusus adhuc in Suecia repertus est. — XIV. Buwejhidæ, quorum imperio magna Asiae citerioris pars per duo fere secula paruit, frequentiora potentiae documenta nobis dederunt. Numos 32 hujus classis jam numeramus, a. 320—401 (932—1011) a dynastis quatuor natu maximis cusos. — XV. Hamdanidæ, sub maxima seculi quarti parte in regionibus Mawsilae et Halebi imperitantes, in 11 dirhemis obvii sunt, quorum 10 a *Nasir-el-daula* et *Seif-el-daula* fratribus a. 330—356 (941—967), unus autem, fortasse unicus, ab illius filio *Abu-Taghlabo Fadhl-Allah* a. 360 (970, 1) cusus. — XVI. Dynastia Ikhschididarum, quae, post triginta quatuor annorum in Syria et Ægypto regnum, anno tandem 358 (968, 9) per Djewherum, ducem Muizz-lidin-Allahi, khalifae fatimidici, eversa est, duos modo numos in Suecia habet, alterum anno 333 (944, 5) a *Muhammede el-Ikhschid*, gentis conditore, alterum anno 349 ab *Abu-l-Qasimo* hujus filio, cusos. — XVII. Gens turcica, cujus reges Khani Ilekorum appellabantur, regno exuerunt Samanidas, et inde a seculo quarto exeunte per longum temporis spatium regiones tenuerunt transoxanas. E numis eorum tres tantum in Suecia innotuerunt, ab *Ilek Khan*, qui anno 383 (993) Baghera Khano successit, procusi. — XVIII. Benu-Oqail seu Oqailidæ, tribus arabica valida, per Emirum suum Abu-l-Daud Muhammed, qui anno 380 (990) Mawsilam expugnavit, sedes in his regionibus fixas aliquamdiu obtinuerunt. Numorum, quos duces hujus gentis procudendos curarunt, rarissimorum septem apud nos reperti

sunt, omnes Mawsilae a. 386—395 (996—1005) fabricati. — XIX. Merwanidæ kurdici generis eodem tempore, quo Oqailidae Mausilam ceperunt, regionem Dijar-Bekri occuparunt et, varia fortuna usi, hanc terram atque arces Armeniae vicinas per octoginta annos suo coërcebant imperio. Tredecim numos insignes, a. 383 — 399 (993—1009) a duobus primis gentis principibus cusos, terra obtulit suecana. — XX. Fatimidae, quorum moneta in partibus Europae australibus frequentissima est, hic adeo rarescunt, ut unicum modo possideamus, a. 331 (942,3) el-Mehdijjae ab *el-Qasimo* cusum. — XXI. Murabitorum etiam numi rari apparuerunt, nec nisi aurei (dinari) plerumque soli, sexto seculo hidjrae in Hispania fabricati, inventi sunt. Tres mihi innotuerunt, quos *Ali-ben-Jusuf*, rex gentis secundus, a. 500—535 (1106—1141) imperans, cudendos fecit. Utriusque hujus dynastiae, quam ultimo posui loco, numi non iisdem debentur caussis, quae reliquos in regiones nostras attulerunt.

Ut jam viae pateant, quibus ex Asia in Europam moneta orientalis sit importata, non parum momenti faciet, si conspectum urbium, in quibus cusi sunt numi, legentibus exposuero accuratiorem. Ab occidente orientem versus procedentibus nobis prima sese offert Hispania, apud Arabes *el-Andelus* dicta. Pro capite totius regionis, *Corduba*, hoc nomen in 12 dirhemis offendi.[1] Duo, anno 107 (725,6) et 130 (747,8) a praefectis khalifarum Umajjadarum orientalium, reliqui, a. 157—179 (773—796) cusi, ab Umajjadis Hispaniae, Abd-el-Rahmano I et Hischamo I, sunt profecti. Exstant praeter hos quatuor quoque aurei, qui e moneta

1) Hic iterum omnes et singulos, similibus non exclusis, numos computavi. Maximi enim est momenti cognoscere, quot ex quaque urbe huc advenerint.

Jschbilijjae (i. e. Sevilla) a. 516 (1122,3), *el-Merijjae* (i. e. Almeria) a. 521 (1127) et *Mursijjae* (i. e. Murcia) a. 560 (1164,5) prodierunt. De his, qui longo domum temporis intervallo interjecto, postquam dirhemi importari jam desierant, fabricati sunt, jam supra observavi, eos alia omnino via et modo plane diverso in Succiam venisse. Ansula omnibus annexa fuit, id quod satis superque demonstrat, eos instar ornamentorum fuisse portatos.

Africa, cujus ad caurum versa pars *el-Meghreb* i. e. Occidens (Mauritania antiqua) arabice appellata est, islamismum cito amplexa est. Duae hujus regionis urbes, utraque Idrisidarum subjecta imperio, in nostris exstant numis: altera est *Welila*, regni caput antiquum, diei unius iter Fesae ab occidente dissita, quae in 8 dirhemis a. 180—185 (796—799) est; altera *Beda'a*, cujus situs nondum satis exploratus est, in 10 a. 174—177 (791—794) cusis occurrit. — El-Meghrebo ab oriente provincia khalifatus Afriqia, seu Africa propria, ad oppidum Badjeh (hodie Bougie) excepit. Khalifis abbasidicis primis imperantibus haec terra a praefectis e gente Muhallebi gubernabatur, qui in *el-Qairewan*, urbe regionis primaria consederant. Hic quoque moneta fuit provinciae, ex qua omnes dirhemi, numero 20, prodierunt, qui a. 166—197 (782—812), nomine Afriqiae signati, in terra Sueciae reperti sunt.[1] Sic saepissime in cuficis numismatis provincia pro capite ejus inscribitur. Duae quoque aliae praeter hanc urbes monetales in nostris collectionibus insunt, in eadem sitae regione, *el-Mubareka*, quae unicum, a. 175 (791,2) et *el-Abbasijja*, quae 50 dirhemos, a. 140—173 (757—790) nobis dedit.

1) Dirhem umajjadicus orientalis ibidem cusus, anno cudendi caret. Vid. Catal. Cl. I, 41.

Aegyptus, arabice *Misr*, post el-Meghreb per Idrisidas et Africam per Aghlebidas imperio khalifatus ereptas, diu Abbasidis paruit, donec Ahmed ben-Tulun, anno 254 (867) a Mutezz-billaho huic provinciae praefectus, contra dominum rebellaret. In sex dirhemis, a. 185—245 (762—859) cusis, Misr pro *Fostat*, tunc temporis metropoli regionis, locus apparet monetalis.

Antequam hinc in Asiam transgrediamur, e re erit paullulum subsistere, ut quaestioni sua sponte sese offerenti respondeatur, quo modo hi numi africani in terras mari balthico vicinas accesserint. Diu quidem fuit, quum viri doctissimi, eos male interpretantes, omnem ejusmodi monetam in Septentrione inveneri abnegarunt, et loca indicata, perversa sententia praeoccupati, in Asiam transferre frustra laborarunt. Ut multos alios, sic hos quoque errores Fraehnius ille dissipavit. At quaestio illa nondum ad omnes partes soluta mihi visa est. Si pecunia Asiae, id quod fere unanimi consensu ab omnibus concessum vidimus, mercaturae caussa ex Oriente in Russiam importabatur, et hinc ad nostras veniebat regiones: non fieri potest, ut ex Africa ob eandem rationem huc immigraverit argentum. Nulla adhuc innotuit via, quae ex his dissitis regionibus mercatores tunc duceret in Septentrionem directa. Ad spolia igitur Wikingorum multi confugerunt, quum pacis negotia ad rem explicandam non sufficerent. At si in dirhemos ex. c. in Russia inventos haec conjectura recte cadat, in nostros non bene quadrare videtur. Si horum aetatem primum respiciamus, inveniemus, omnes multo ante tempus, quo Wikingi littora Serklandi populabantur, esse cusos, neque adhuc apud nos numos inventos, qui his expeditionibus essent aequales. Desinunt enim cum imperio Abbasidarum in his terris sublato (excipias tamen paucos idrisidicos).

Habitus quoque externus eorum non parvi est momenti: omnes valde attriti, fracti, imo oblitterati, itinera longiora percurrisse videntur, antequam in terra Sueciae essent sepulti. Crediderim igitur potius, hujus generis dirhemos primum in Asiam ivisse. Eo pecuniam africanam esse allatam, per se satis liquet. Non vectigal solum harum provinciarum in thesaurum Khalifae vehebatur; quantam argenti vim itinera, templi meccani visendi caussa suscepta, quae hoc aevo eo vigebant ardore, ut ex omnibus etiam remotissimis islamismi finibus homines in Arabiam confluerent, quantam mercatura postularet, nemo non viderit. Ex Asia deinde cum dirhemis asiaticis, quibuscum semper conjuncti africani apud nos occurrunt, iisdem viis in Europam importati hi sunt, quibus reliqui immigraverint. Tacendum non est, numismata africana cum samanidicis numquam in Suecia esse inventa, et antiquissimis igitur thesauris hujusmodi, qui e terra suecana eruti sunt, adnumeranda.[1]

Arabia, patria islamismi, vicinis terris devictis non principatum solum sed omnem etiam animi cultum mox concessit. Quem ad modum nostra tempestate hae regiones peregrina utuntur moneta, sic illis, de quibus loquimur, temporibus artifices ibi defuisse videntur idonei, qui numos cuderent, quare dirhemi in Arabia fabricati rarissimi habentur. Aliquando tamen praefecti Khalifarum numismata ibi signanda fecerunt, quorum tria, e provinciis *Ommanae* et *Jemamae*, in Suecia reperta sunt. Utraque regio prope sinum persicum sita est, qui hoc aevo tantam ostendit frequentiam tamque vegetam mercaturam, quam nullus alius orbis terrarum locus tunc obtulit. Duos possidemus dirhemos, Ommanae nomine

1) *Tres* quidem samanidici, qui cum africanis cet. in Oelandia anno 1840 (vid. pag. XXIV n. 64) reperti sunt, opinionem propositam potius confirmare quam infringere videntur.

insignes, alterum sine anno, alterum anno 320 (932) a Jusufo ben-Wadjib, dynasta seditioso et fortasse sui juris, cusum, qui ambo sine dubio e moneta urbis *Suhar*, quae tum totius regionis fuit florentissima, prodierunt. Tertius adest, a. 166 (762,3) in Jemama procusus, in cujus parte reversa nomen urbis *Hadjer* inest, ubi certo fabricatus est.

Syria, Arabum *el-Scham*, Arabiae vicina, prima quoque victoribus muslemicis succubuit, et Umajjadae sedem imperii, el-Medina hedjazensi relicta, in urbem antiquissimam ac celeberrimam *Dimeschq* (Damascum) transtulerunt. Viginti hic cusos numos habemus, qui, duobus modo exceptis, ad classem Ikhschididarum pertinentibus, a Khalifis sunt signati, vetustissimus a. 79 (698), tempore autem ultimus a. 333 (944,5). Harun-el-Reschid oppidum prope Ciliciae fines et non procul a Merasch condidit et conditum suo nomine *el-Harunijam* appellavit, cujus momentum numus a. 170 (786,7) ibi signatus satis demonstrat.

Mesopotamia vicina, quam Arabes *el-Djeziram* i. e. peninsulam appellant, his seculis maxime floruit. Ad utramque fluminum Euphratis et Tigridis ripam urbes jacebant opulentissimae, et per omnes vias mercatorum catervae undique et ultro citroque commeabant continuae. A Syria venientibus nobis prima urbs, quae, caput regionis Beni-Modhar, in via Baghdadum ducente est, *el-Raqqa* sese offert. Cum alia non minoris ambitus, *el-Rafiqa* nominata, conjuncta, ad Euphratem sita est. Ex el-Raqqa duo modo nobis supersunt dirhemi abbasidici a. 179 (795) et 199 (814,5), ex el-Rafiqa autem 12 exstant a. 183—356 (799—967), quorum duo Hamdanidis, reliqui Abbasidis originem debent. Arx,

quae el-Raqqae erat, *Qasr-Selam*[1] nomen obtinuit. Hic moneta fuit, id quod ex quatuor apparet dirhemis, hoc nomine signatis. Horum duo eosdem ostendunt annos atque numi raqqenses, duo vero ad annum 168 (784,5) pertinent. Ad eundem fluvium, at multo inferius, *el-Rahbam*, seu plenius *Rahbam Melik ben-Tuk Thalebi*, ad ducem quemdam Haruni el-Reschidi sic vocatam, offendimus. Unicus dirhem, a. 350 (961) a Nasir-el-daula Hamdanida cusus, hinc ad nostras pervenit oras. In medio flumine insula fuit munita, cui nomen *Ana* erat. In numo anno 1840 in Oelandia eruto, qui anno 204 (819,20) signatus est, fortasse hic locus adest, nisi obstet articulus, quem in hujus oppidi nomine nusquam observavi. — El-Raqqae ab aquilone, media via inter Euphratem et Tigridem, *Ras el-Ain* i. e. caput fontis, jacuit, quae in dirhemo, a. 301 (913,4) procuso, occurrit. Si eamdem persecutus fueris viam, post trium dierum iter *Nisibinam* venies, caput regionis, quam Benu-Rebia inhabitabant. Quatuor dirhemi, hic cusi, in nostris servantur museis: abbasidicus a. 308 (920) duo hamdanidici, quorum alter anno caret, alter ille rarissimus a. 360 (970,1) ab Abu-Taghleb Fadhl-Allah cusus, et merwanidicus sine anni indicio. Ad ripam tandem Tigridis occidentalem *el-Djeziram*, seu plenius *Djezirat-ibn-Omar* pervenimus, unde fragmentum solum numi umajjadici huc allatum est. — Nisibinae a septentrione ad Tigridem superiorem urbs jacuit *Mejjafareqin*, omnium Dijar-Bekri pulcherrima. Sex numismata insignia, ab Hamdanidis et Merwanidis, a. 354—399 (965—1009) cusa, nomen urbis celebris ostendunt. Si Mawsilam (Mosul) iturus, jam austrum

---

1) In numis, quos vidi, hic cusis numquam *Qasr-el-Selam* i. e. arx pacis, sed *Qasr Selam* i. e. arx Selami. Selama et Selam nomina viris propria non insolita fuerunt.

peticris, primam urbem *Berqaid* attinges. Duo modo numi buwejhidici rarissimi, hic a. 387 (997) et 401 (1010,1) fabricati, in Suecia reperti sunt. Septendecim parasangas inferius urbs *el-Mawsil* clarissima, totius el-Djezirae metropolis, ad ripam Tigridis occidentalem sita est, ex qua 15 dirhemi abbasidici, hamdanidici et oqailidici, a. 291—393 (903—1003) cusi, ad nos pervenerunt.

Provincia fere omnium nobilissima, el-Djezirae ab austro inter duo flumina sita, Iraq-el-Arabi i. e. *Iraca arabica* appellata est. Post conditum Baghdadum maximum attigit opulentiae cultusque culmen: urbibus tegebatur splendidis, canales innumerae solum ejus permeabant, et frequentia hominum nusquam alias tanta erat. Abu-Djafar el-Mansur, khalifa Abbasida huc ad ripam Tigridis occidentalem aulam migravit, ex qua urbs magnifica mox exstitit Baghdad, in numis *Medinet-el-selam* i. e. urbs pacis appellata, cujus pomoeria filius el-Mehdi trans ripam fluminis orientalem protulit. Monetam khalifarum hic fuisse primariam, per se liquet. Inde ab anno 148 usque ad 338 (765—950) series numorum procedit numero tanta, ut plus 550 eorum adhuc examinaverim. Jam anno 17 (638), quum Omar khalifa imperaret, Baghdado ab occasu hiberno *el-Kufa* condita est, quae khalifis, interdum Baghdadum deserentibus, una cum el-Basra, Wasit et posterius Samerra vicissim domicilium erat. 40 dirhemi, a. 132—330 (749—941) ab Umajjadis et Abbasidis hic procusi, in Suecia adhuc collecti sunt. Mari propius ad eandem fluminis ripam Omar ille a. 14 (635) *el-Basram* aedificavit, cujus numi, qui numero 60 adsunt, ab anno 81 (700) usque ad annum 397 (1006) ab Umajjadis, Abbasidis, Buwejhidis et Merwanidis signati, apud nos sunt fre-

quentiores. *Wasit* i. e. media, ita appellata, quod eodem 50 parasangarum intervallo ab urbibus el-Kufa, Baghdado, el-Basra et el-Ahwazo distabat, octo stationes Baghdado ab austro dissita, ab Abd-el-Meliko, quinto umajjadicae gentis khalifa, exstructa est. Plus 80 khalifarum dirhemi, a. 86—332 (705—944) cusi, hinc in Sueciam importati sunt. Observatione tamen dignum videtur, urbem, quae in moneta umajjadica frequens apparuit, tum in primorum Abbasidarum numis plane evanescit, neque prius redit, quam tempore, quo el-Mutamid, ordine decimus quintus, sceptra khalifatus capesseret. Omnium urbium iraqensium natu minima *Samerra*, seu plenius *Serr men ra* i. e. qui viderit, gaudebit, tres stationes Baghdado a septentrione ad oram Tigridis orientalem a. 220 (835) ab el-Mutasimo khalifa condita, ab hujus filiis et proximis successoribus, el-Wathiqo et el-Mutewekkilo aucta et amplificata, vix per seculi spatium duravit. Qui numero 40 inventi sunt, hic a. 231—330 (845—942) cusi dirhemi, omnes khalifis abbasidicis originem debent. Ea urbis pars, quam el-Mutewekkil addidit, aliquamdiu *el-Mutewekkilijja* nominabatur, ut ex 3 numis, a. 247 ibi (861) fabricatis, apparet.

Tigridi ab oriente regio fuit Khuzistanae, quae austrum versus ad sinum usque persicum patebat. Princeps ejus provincia *el-Ahwaz* in 9 dirhemis cernitur, qui a. 260—318 (873—930) ab Abbasidis sunt signati. Hoc nomine prima terrae civitas indicatur, quam Persae Hormuz-Schehr i. e. urbs Hormuzi, Arabes autem *Suq-el-Ahwaz* i. e. forum el-Ahwazi dicebant. Haec quoque denominatio in aliis 11 legitur numis, quorum unus umajjadicus anno caret, quatuor abbasidici a. 134 (751, 2), 325 (936, 7) et 337 (948, 9) et sex buwejhidici, a. 336—343 (947—955) cusi. Posterius *Tuster* caput regionis evasit, quod nomine *Tuster min-*

el-Ahwaz certe in numo abbasidico a. 298 (910, 1) diserte distinguitur. Intra fines eosdem jacuit urbs *Ramhormuz* haud mediocris, cujus nomen in 3 dirhemis conspexi, umajjadico a. 90 (708, 9) et duobus abbasidicis, a. 134 (751, 2) et 321 (933) procusis. Eodem etiam pertinuit *Destuwa*, cujus urbis numisma, a. 96 (714, 5) cusum, rarissimum in museo regio adest. Commemorantur quoque duae hujus provinciae regiones fertilissimae, *Menadhir major* et *minor*, ubi moneta quoque fuit, id quod dirhem umajjadicus, cujus annus deletus est, probat. Alia terrae pars, cui nomen Suq erat, caput habuit *Surraq* seu Dawraq appellatum, unde numi fragmentum, cujus annus periit, in Sueciam est delatum. Ex alia Khuzistanae urbe, *Suq-Morra*, quae adhuc in numis cuficis desiderabatur, umajjadicum, a. 82 (701, 2), museum regium servat.

Littus maris persici orientem versus sequentes, provinciam Faris, seu *Persidem* proprie sic dictam, statim attingemus. Jam in confiniis Khuzistanae prima ejus urbs *Arradjan*[1] nobis obvia est, quae, haud procul a mari dissita, in 5 dirhemis, partim abbasidicis, partim soffaridicis, a. 280—341 (893—953), est. Huic ab oriente juxta mare jacuit *Siraf*, portus Persidis maximi momenti, ex quo tamen duo tantum dirhemi buwejhidici mihi innotuerunt. Hinc Schirazam petenti via caurum versus per provinciam *Ardschir-Khurra* patuit. In parte ejus occidentali prima civitas *Djur*, postea Firuzabad appellata, sita erat, quae sub nomine regionis Ardschir-Khurrae in duobus abbasidicis rarissimis, a. 145 et 146 (762, 3) cusis, exstat. *Schiraz*, Persidis totius metropolis, hinc 24 parasangas distabat. Eam sedem imperii fecerunt tam Soffaridae,

1) Ab Abulfeda Khuzistanae adnumeratur.

quam Buwejhidae, quorum dirhemi, numero 10, a. 270—343 (883—955) hîc signati, in terra Succiae reperti sunt. Alii 40, maximam partem tahiridici et a. 209—331 (824—943) ibidem procusi, pro urbe nomen regionis *Faris*, ut mos saepius tulit, retinuerunt. Viam, quae in Khorasanam duxit, ingredienti tibi post 12 parasangarum iter septentrionem versus obvia fuit urbs antiquissima *Istakhar*, Graecorum Persepolis, cujus nomen in 4 dirhemis umajjadicis, a. 88—100 (707—719), adest. Si quis hinc Kermanam petere vellet, via orientem versus ei ineunda erat, quae frequentissima urbibus quasi disseminata erat opulentis. Harum proxima fuit *Fesa*, intra fines provinciae Darabdjerdi sita, quae in duobus modo buwejhidicis numis adhuc apparuit. *Darabdjerd* urbs, 50 parasangas Schirazâ distans, regionis Schebankarae vel, ut alii malunt, provinciae, Darabdjerd nominatae, caput, quatuor nobis dedit dirhemos eximios, rarissimos, ab Umajjadis a. 90—94 (708—713) signatos. Media inter Schiraz et Arradjan provincia *Sabur*, cum urbe ejusdem nominis permagna, jacuit, ex qua 4 umajjadicos in Suecia repertos examinavi. Alia non minor, in ditione Arradjani sita, *Djennaba*, 54 parasangas Schirazâ distans, in unico soffaridico, a. 279 (892, 3), legitur.

KERMAN, terra fertilissima Persidi ab oriente sita, caput habuit *el-Sirdjan*, ubi moneta etiam fuit. Septem numi khalifarum, a. 91—169 (709—786) hîc cusi, provinciae nomine insignes, ad nos pervenerunt.

Deserto Kermani aquilonem versus peragrato, in SEDJESTANAE provinciam ventum est, cujus civitas maxima eademque praefectorum sedes *Zerendj* fuit. 15 dirhemi abbasidici, a. 176—209 (792—

825), hocce gerunt nomen, dum quatuor alii ejusdem ordinis, a. 172—174 (788—791), Sedjestan pro metropoleos nomine habent.

Septentrionem jam petentes, juxta Pontum Euxinum et Mare Caspicum regiones attingimus ADHERBIDJANAE, ARRANI et ARMENIAE, quae quasi portas effecerunt, per quas via in Europam patuit. Armeniae urbs primaria fuit *Dowin* s. *Debil*, in numis apud nos nondum visa; at ejus loco Armenia in plus 160 occurrit, quorum tamen multi in Reversa *Berdaam*, Arrani caput ostendunt. Miscentur enim saepissime nomina harum provinciarum, quibus non raro idem omnibus erat praefectus. Hi numi armeniaci a khalifis originem ducunt, et a. 96—302 (714—915) cusi sunt. Non sine summa veritatis specie FRAEHNIUS locum dubium, *Maden Bakhines* i. e. fodina Bakhinensis appellatum, Armeniae adnumerat, qui in 4 abbasidicis numis, a. 195—209 (810—825) invenitur. *Berdaa* vero, prima Arrani civitas, in 25 ejusdem classis numis, a. 268—292 (881—905), adhuc se ostendit, dum *Arran*, ipsius regionis nomen in 5 tantum ejusmodi dirhemis, a. 153—217 (770—833) apparuit. Berdaae a. septentrione *Tiflis* jacuit, quam alii Arrano, alii Adherbidjanae addiderunt. Duo soli abbasidici, a. 210 (825, 6) et 294 (906, 7) cusi, hanc urbem monstrarunt monetalem. Magis ad austrum et mari caspico propius *Ardebil*, caput Adherbidjanae invenimus. In numis apud nos nondum conspectum est; at pro eo provinciae nomen in 5 abbasidicis legitur, a. 166—280 (782—894) fabricatis.

Adherbidjanae ab austro et Iracae arabicae ab oriente jacuit regio KUHISTAN. i. e. Montana, ab Arabibus jam *el-Djebal*, jam *Jraq-el-Adjem* i. e. Iraca Persarum nominata. Via mercatorum, quae in Khorasanam perrexit, hanc permeavit provinciam. In ea

primam offendimus urbem *Hamedanam* nobilissimam, quam in dirhemo tahiridico, a. 235 (849, 50), unico legere non dubitavi.[1] In aliis eadem, nomine *Mahi* appellata, occurrit, id quod de duobus umajjadicis, a. 90 et 95 (708—714) cusis, et abbasidico, a. 299 (911, 2), valet. Huic urbi a cauro fuit *Deinawer*, quam Arabes *Mah-el-Kufa* nominabant, ut in 7 dirhemis, a. 234—320 (848—932) signatis, vere est. Hamedanae autem ab austro *Nehawend*, Arabum *Mah-el-Basra*, jacuit, quod nomen in abbasidico singulari anni 321 (933) exstat; ab oriente vero, in Dejlemi confiniis *el-Rej*, in cujus vicinia postea Teheran condita est. Sex numi Abbasidarum, a. 145—147 (762—4) hanc retinuerunt appellationem; alii vero, numero 170 partim ejusdem generis, partim tahiridici, a. 148—346 (765—958) cusi, nomen urbis recentius *el-Muhammedijjam* exhibent. Post 21 parasangarum iter ortum hibernum versus *Qomm* jacet, quae in duobus dirhemis jam primum sese obtulit, antea in numis non visa. Alter abbasidicus a. 277 (890, 1), alter tahiridicus, a. 241 (855, 6) cusus est. Huic ab austro et Persidi proxima, urbs *Isbahan* s. *Isfahan* mercatura sua et fabricis celeberrima, sita fuit. Olim *Djej* appellabatur, sicut in 7 Abbasidicis, a. 162—170 (778—787), exstat; in 60 autem aliis, tam abbasidicis, quam tahiridicis, a. 196—274 (811—888), apud nos repertis, novum servatur nomen. Ditionis Isfahanae fuit *el-Tejmera*, oppidum minus cognitum, e cujus moneta profectos 4 umajjadicos habemus, quorum unus modo annum 90 (708) servat.

Ad littus maris caspici australe sitae fuerunt provinciae DEJLEM, KUMIS, TABERISTAN et DJURDJAN, simul paludosae et montanae

---

1) Vid. *Nova Acta Reg. Soc. Scientiarum Ups.*, Vol. XIII, pag. *122 sq.*

regiones, quae et portubus divites bonis mercaturae optimam obtulerunt occasionem et commercium maximi momenti Asiam inter et Europam sustinuerunt, et montibus munitae inaccessis religionem patriam et libertatem domesticam contra Muhammedanorum impetum diu defenderunt. Itaque duobus fere seculis post ignem sacrum in omnibus Persidis ateschgadis exstinctum, is hic arsit splendidus. Huc etiam rebelles et praefecti seditiosi confugiebant, spe certa freti, ut factione potentiori hic mox forent suffulti. Dejlem nullos nobis reliquit numos. Kumis, quae huic ab austro jacuit, caput habuit Dameghan. Notior vero nobis est alia ejusdem urbs *el-Bejar*, quae in 3 samanidicis, a. 298 (910) procusis exstat. Taberistana, Dejlemo ab oriente sita, *Amol* regni praefectorumque domicilium habuit, postquam id *Sarijâ*, quae Djurdjanae propior fuit, huc translatum est. Dubium igitur est, utra harum intelligatur urbium in 5 abbasidicis, qui, a. 190—192 (805—807) signati, Taberistanam locum indicant monetalem. Prope mare caspicum fuit *Esterabadh* urbs cum portu eximio notissima. Dirhem zijaridicus singularis, a. 366 (976, 7) hic cusus, in Suecia unicus repertus est. — Djurdjana tandem provincia, orienti propior, urbem ejusdem nominis habuit pulcram, ad fluvium sitam navigabilem. Hic Zeididae sedem fixerunt, quorum numi rarissimi, numero 14, a. 267—270 (880—884) cusi, hinc ad nos pervenerunt.

Khorasana i. e. terra solis sensu ampliori totam Persidem septentrionalem amplexa est. Situ suo populis turanicis vicinae, ejus erat Iranam contra gentes barbaras et semper inimicas defendere, et nomen ambiguum «ensis Persidis» multis de causis merebat. Quum desertum, Djurdjanam a Khorasana dirimens, esses emensus, post 26 stationum iter *Nisaburam* venisti, quae tempore Tahiridarum regni sedes facta est, quum antea Merw et Balkh diversis

temporibus praefectorum fuissent domicilia. Antiquitus nomen ei fuerat *Aberschehr*, quod etiam in 11 occurrit dirhemis, a. 91—310 (709—923) ab Umajjadis, Abbasidis ac Tahiridis cusis. In 90 autem aliis, qui a. 194—341 (809—953) ab Abbasidis, Tahiridis et Samanidis fabricati sunt, Nisabura legitur. Hinc via aquilonem versus in Turkestanam duxit, in qua quum 12 parasangarum iter fueris progressus, ad *Merw*, urbem vetustissimam pervenies, eodem intervallo ab Herat, Balkh et Bukhara distantem, quae, dum Abbasidae hanc possidebant regionem, praefectis eorum sedes fuit. Hinc numi 70, a. 80—306 (699—918) ab Umajjadis, Abbasidis, Tahiridis ac Samanidis cusi, in nostris terris reperti sunt. Ortum hibernum versus, 10 dierum itinere Nisaburâ dissita *Herat* jacet, Othmano khalifa islamismo subjecta. Duo modo dirhemi hic fabricati, a. 194—195 (809—811), abbasidici in museo regio adsunt. Hinc via aquilonem versus ad *Balkh*, Bactra antiquorum fert. Nostri dirhemi balkhenses, numero 130, partim abbasidici, partim Samanidici, ab anno 181 (797,8) incipiunt, et, intervallo centum annorum 195—290 excepto, usque ad annum 352 (963,4) procedunt. Ab hac urbe 13 stationum iter *Bedakhschan*, caput provinciae ejusdem nominis jacuit, quod in duobus tantum samanidicis, a. 316—321 (928—931), apparuit. Media via inter Balkh et Ghaznam *Enderaba* sita fuit, quam Abu-Ishaq el-Faresi ad Tokharestanam provinciam retulit. Dirhemi hic cusi. anno 264 (477,8), quo Abu-Daudi posteri eam occupabant, primum obveniunt, et deinde, Samanidis imperantibus, ad annum usque 359 (969,70) parum interrupti progrediuntur. Plus 220 jam sunt Eâdem viâ si perrexeris, post quatuor stationum iter peractum, Ghaznae propius, in pagum devenies *Pendjhir* seu *el-Pendjhir* appellatum, cum oppido cognomini, ubi fodina regi-

onis argentaria maxima erat, cujus metallum in monetam Enderabae, ut ibi signaretur, portabatur. At hic quoque officinam monetariam fuisse, intelligitur ex 13 dirhemis, nomine Pendjhir insignibus, quos maximam partem Soffaridae a. 256—329 (869—941) hic cudendos fecerunt. — Khorasanae regio *el-Khottel* et ab Abu-Ishaqo el-Faresi et ab Abulfeda adnumeratur, quamvis hic disertis verbis dicat, "pone fluvium" i. e. Djihun, ubi Ma-vera-el-nahri provincia est, eam jacere. Multae hic inerant urbes, at solum regionis nomen in 8 samanidicis dirhemis, a. 292—322 (904—934), adhuc obvium fuit.

Flumine Djihun trajecto, in MA-VERA-EL-NAHR i. e. Transoxanam venitur, quae praecipue imperio Samanidarum subjecta summum gloriae et felicitatis attigit fastigium. Immensa pecuniae vis, in nostras terras delata, si aliae deessent argumenta, per se hanc demonstraret veritatem. Post quam fluvium illum ad Termedh, Balkhae a septentrione situm, transieris, in regionem Soghd celebratissimam venies, ubi ad ripam fluminis soghdiani australem civitas provinciae prima *Samerqand* sita est. Jam diu ante Samanidarum aevum haec urbs una cum el-Schasch et Bukhara valde floruit, et numi ejus anno 150 (767,8) cusi apud nos apparent et postea sub Tahiridis saepius occurrunt. At anno demum 280 (893,4) numerus eorum continue augescit, et, usque ad annum 359 (969,70) pertinentes, summam plus 1100 efficiunt, iis non recensitis, qui, numero fere totidem, magis minus veoblitterati et confracti, urbis solum nomen retinuerunt. Ad eundem fluvium occidentem versus *Bukharam* invenimus, omnium Ma-vera-el-nahri urbium populo frequentissimam. Anno 194 (809,10) quidem dirhemi ejus apud

nos se ostenderunt; tum vero omnino desunt, donec cum anno tandem 294 (906,7) denuo apparent, et postea paullo frequentiores usque ad annum 393 (1002,3) pertinent, quo Ileki urbem jam expugnaverant. Samerqandae a septentrione ad fluvium Sihun urbs *el-Schasch*, postea Taschkend, jacuit. Abu-Isbaq el-Faresi modo regionem sic nominatam novit, cujus urbs primaria *Binketh* fuit. Quae appellatio etiam in Reversa dirhemorum quorundam schaschensium apparet, neque aliud quidquam, quam ipsum el-Schasch indicare videtur. Abulfeda vero arcem el-Schaschae Binketh nominat. Annus 199 (814,5) primus in his occurrit numis, qui tum pari ratione ac samerqandenses apud nos sese ostendunt. Plus 1420 examinavi, iis non numeratis, qui urbis modo nomen ex inscriptione reliquum servarunt. In anno 367 (977,8) tandem subsistunt. In hac regione sine dubio quaerendum est *Maden el-Schasch*, i. e. fodina schaschensis fortasse argentaria, ubi et moneta signabatur. Nam hoc nomen in 12 dirhemis, a. 180—218 (796—833), tam abbasidicis, quam tahiridicis lectum est. Ni fallor idem est locus, qui nomine *Maden* i. e. fodina breviore in abbasidico anni 195 (810) apparuit, et postea in 14 samanidicis a. 293—340 (905—951) obvenit.

Trans ditionem schaschensem FERGHANA sita est, lapidibus pretiosis et metallis ditissima, cujus civitas primaria, ab Abu-Ishaqo el-Faresi *Akhsiketh* vocata, nomine regionis sine dubio indicatur in 6 dirhemis samanidicis, qui a. 314—315 (926,7) signati sunt. Prope fines Turkestanae orientem versus urbs Uskend seu Uzkend fuit, quam eandem habemus atque *Uschkend* illam, in numo Ileki, anni 392 (1001,2), obviam.

Ex his provinciis multae viae ad mare caspicum ducebant, cujus portus merces accipiebant, quae a septentrione per fluvium

Itil huc deferebantur. Circa hoc fluvium BULGHARI habitabant, gens mercaturae magnopere dedita, cujus industria et studio maximam argenti vim, quae per Russiam, Germaniam et Sueciam dispersa, identidem e terra eruitur, in Europam illatam putamus. Imperii eorum sedes in Bulghar fuit urbe, quae in fluminis Itil septentrionali ripa jacuit, et hinc non valde distans alia fuit, *Suvar* appellata, unde 12 dirhemi, a. 338 (949,80) cusi, ad nos pervenerunt.

Post hoc iter per varias urbes monetales peractum, jam viam facile persequi possumus, qua numi diversi, variante tamen copia, iverint, antequam, ad nostra littora advecti, in terra suecana sepelirentur. In numis, qui, una inventi, brevi post eorum ad nos adventum reconditi videntur, iter eorum per Asiae urbes optime elucet. Quo propinquiores hae ex una parte mari caspico sitae sint, eo major numorum frequentia plerumque fit. In Ma-vera-el-nahr tandem numerus evadit maximus. Huc enim viae decurrerunt Asiae diversae, quibus merces in mare caspicum deferebantur; huc Bulghari advenerunt, et argentum ab iis in Russiam portatum, per flumina denique in regiones balthicas sparsum est. Gens illa admodum fuit sedula. Geographi Arabum haud raro de catervis narrant mercatorum Bulgharorum, quae per Kharizmiam in Samanidarum imperium proficiscebantur, de navibus eorum innumeris, mare caspicum transnavigantibus, quae merces terrarum borealium advehebant, praecipue vestes illas pelliceas, quas usus mirificus omni Orienti fecit necessarias. Si vim auri et argenti immensam consideraveris, quam ab antiquissimis inde temporibus terra retegit, hinc in Europam illatam, facile videbis, quale et quantum hoc fuerit commercium.

Ex altera parte alia quoque via patuit, qua hi numi ex Asia in Europam commigrabant. Per regiones Armeniae et Adherbidjanae montanas ad Pontum ea duxit Euxinum, in cujus littoribus borealibus Khazari aliaeque gentes hoc aevo degebant, qui easdem hìc agebant partes, ac Bulghari in maris caspici vicinia. Hoc tamen iter non eadem gaudebat frequentia, qua floruit khorasanicum et transoxanicum. Nihilominus haud parum argenti etiam sic in Russiam advenit, et deinde per fluvios adjacentes in oras maris balthici ivit. Inde a mari persico secundum flumina Euphratem et Tigridem in montes dirhemos possumus sectari. At ni omnia fallunt haec via alterâ fuit antiquior, quum Samanidarum aetate fere omne commercium per eorum ditionem exerceretur.

Ne vero omnia mercaturae soli et pacis negotiis tribuas, caveas. Fieri sane potuit, ut multos thesauros, in nostra terra repertos, expeditionibus bellicis et victorum spoliis vere debeamus. Ut alia hujus rei indicia taceam, haec attulisse sufficiat. Chronica Arabum gentis saepe faciunt mentionem ferocis, cujus in fines Islamismi incursiones vividis pinguntur coloribus. Ea *Rus* nominata sic memoriam sui posteritati tradidit cruentam. Qui principum Normanorum s. Waraegorum partes in Russia per haec fere secula, de quibus hìc agitur, peractas cognoverit, facile concludet, hos populos, qui originem a Scandinavia ducebant, in novam patriam mores et consuetudines domesticas secum attulisse, et Asiam opimam praedatos praedam haud raro domum reportasse. Ad hanc sententiam firmandam non parum facit, quod numi orientales plane apud nos desinunt ab eo inde tempore, quo Russia, ultimis regibus Waraegorum imperantibus, in varias dilapsa civitates, turbis civilibus funditus concuteretur. Ubique tunc incerta et dubia fuerunt

industriae opera; mercatura, quae in bellis florere non potest, omnis cessavit vel in alias ingressa est vias, et, quod adhuc viguerat, inter Orientem et Occidentem commercium quievit. Neque ulterius expeditiones in Asiae fines suscipiebantur. Duces enim, domi suis rebus occupati, in alias partes arma convertere cogebantur. Seculo XI p. Chr. ineunte Oriens etiam aspectum praebuit tristissimum. Post Khorasanam et mox totum Ilekorum regnum a Mahmudo ghaznevida expugnatum, viam mercaturae et commercio solitam bella clauderunt, et seditiones, post mortem illius Mahmudi exortae, tumultus et calamitates ubique crearunt foedissimas. Interea Seldjukidae more Turcarum ferro et igne Asiam vastabant citeriorem atque ultima cujusvis artis et cultus delebant vestigia. His accessit, quod Christianismus, hoc fere tempore in Suecia stabilitus, omnes res tam publicas quam privatas mutare incepit, mercatura alias iniit vias, expeditiones Wikingarum desierunt, et moneta propria in Suecia signata est. Non hujus est scriptionis in caussas penitus inquirere, quibus pecunia Orientis huc sit invecta; eas summis lineis indicasse fini proposito sufficiat, quum alii non deerint, qui, monumentis omnibus huc pertinentibus cognitis et rite examinatis, hanc rem explicabunt gravissimam.[1]

---

1) Hanc materiem uberius tractatam lector benevolus inveniet in commentatione mea, quam *Om de i Svensk jord funne Österländske mynt* inscriptam, Academiae litterarum humaniorum, historiae et antiquitatum holmiensi exhibui, et in cujus actis ea publicabitur.

De regia Numorum Cuficorum collectione holmiensi.

Inter numorum collectiones splendidissimas, quas regium numophylacium holmiense, regio antiquitatum museo jam adjunctum, servat, ea insignem merito sibi vindicat locum, quae *cuficos* complectitur,[1] sive numerum respexeris ampliorem, sive singulorum quorundam raritatem eximiam et dignitatem, sive denique originem, utpote qui omnes e terra Succiae sunt eruti. De fatis ejus pristinis parum memoriae traditum est. Constat tamen, numos, subinde hic illic in Suecia inventos, in *Archivum Antiquitatum* esse illatos. Ab eo inde tempore, quo regia Academia litterarum humaniorum, historiae et antiquitatum rege jubente in suam tutelam accepit non antiquitates modo patriae sed varias numorum collectiones reipublicae, novus rerum ordo natus est. Archivum antiquitatum tunc 93 possedit dirhemos, a CLEWBERGIO explicatos, una cum 100 similibus, qui tamen cum aliis diversi generis sensim commutati sunt.

---

1) In eadem collectione praeterea alii quoque asservantur numi Muhammedani et Orientales, quos aeque disposui et descripsi. Olim fortasse eos publici juris facere mihi licebit. En indicem eorum.

Cl. I et II.	*Aenei* cufici.	29.	Cl. XXXII.	*Baberidae.*	91.
Cl. XX	*Seldjukidae* Asiae minoris.	2.		*Reges Canori.*	2.
Cl. XXI.	*Ortokidae* Mardin.	4.	Cl. XXXIII.	*Sefidae.*	10.
Cl. XXII.	*Atabeki* Mosul.	8.		*Efscharidae.*	8.
Cl. XXIII.	*Fatemidae* (aurei).	5.		*Incerti.*	15.
Cl. XXV.	*Muwahhidita.*	1.	Cl. XXXIV.	*Reges Mysorenses.*	3.
Cl. XXVI.	*Ajubidae.*	7.	Cl. XXXV.	*Othmanidae.*	208.
Cl. XXVII.	*Mamluki Baharitae.*	1.	Cl. XXXVI.	*Scherifi.*	19.
Cl. XXVIII.	*Khani Hulaguidae.*	2.		*Christianus.*	1.
Cl. XXIX.	*Sultan Patan.*	1.		*Pagratidae.*	2.
Cl. XXX.	*Khani Djudjidae.*	18.		*India Orientalis.*	10.
Cl. XXXI.	*Khan Krimensis.*	1.			

Quibus pretiosissima accedit collectio numorum *Japanensium* et *Chinensium*.

Horum indicem regia illa academia servat. His postea accesserunt 28 novi, quos anno 1771 CAROLUS AURIVILLIUS erat interpretatus. Alia quoque adest 133 dirhemorum recensio optima, circa idem fere tempus ab AURIVILLIO eodem confecta, quibus multi inerant similes. Talis erat collectionis cuficae aspectus, quum eam academia reciperet. At jam anno 1787, quo P. MALMSTRÖM, h. t. Bibliothecarius regius et professor, auctore libero barone G. G. ADLERBETH, numorum cuficorum descriptionem parare inciperet, adeo aucta est collectio, ut 783 dirhemos et 4 dinaros (quorum tamen tres in Suecia non reperti sunt) comprehenderet, inter quos 258 similes Malmström invenit. Sumtu academiae horum omnium recensionem ille elaboravit, cujus ne vestigium quidem jam superest. Simul 84 numos aeri incidendos curavit, quorum imagines, in septem foliis prelo expressas in academiae collectionibus perlustravi. Delineatae videntur non ad ipsos numos, sed ad picturas, ab interprete ipso fortasse paratas, quare factum est, ut saepius a veritate non parum recedant. Tabulae aeneae ubi sint, me latet. Anno 1786 decreverat academia, ut descriptio malmströmiana una cum figuris ederetur.[1] Nihilominus anno 1798 queritur Malmström in litteris ad Fredenheim, Cancellarium aulae, datis,[2] descriptionem suam, jam pridem prelo paratam, pecunia deficiente, nondum editam esse. Ita inceptum cessavit laudabile. Neque prius aliquid de hac re accepimus, quam anno 1803, quo JONAS HALLENBERG, regni antiquarius et numophylax renuntiatus, numophylacium regium a ruina servavit imminente[3], et numos cuficos, quos domi adhuc secum retinuerat

---

1) Vid. *Kongl. Vitterhets Historie och Antiquitets Academiens Handlingar*, Vol. I, pag. 173.

2) In academiae collectionibus.

3) Cfr. JON. HALLENBERG, *Berättelse om Kongl. Svenska Mynteabinettet. Sth. 1804*, 4:to, p. 249 cet.

Malmström omnes, ei restituit. In libro suo: *Numismata Orientalia, P. I et II, Upsaliae 1822* inscripto plurimos horum, ut Malmström eos explicaverat, nominavit, partim quoque uberius interpretatus est Hallenbergius. Anno tandem 1842 mihi copia data est hujus collectionis antiquae denuo perlustrandae. Aderant omnes eodem ordine, quo Hallenberg eos receperat, quemque suo involucro chartaceo circumdatum, cui Malmström locum atque annum cudendi et dynastae nomen inscripserat. Maxima pars bene explicata fuit; multos tamen omnino similes et falsos — fere 150 ejusmodi separavi — non distinxerat, alios male legerat. Quum haec collectio quasi nucleus sit totius musei cufici, et optime indicet, qualia et quanta incrementa paucis modo annis postea ceperit haec collectio, e re habui ejus indicem hic legentibus sistere. Signum * eos notat, quos aere Malmström expressit:

I. Umajjadici.

Quinque numero sunt, cusi *Damasci* anno 79*, et *Wasitae* a. 93, 116, 122, 126*.

II. Abbasidici.

Sexaginta, cusi in *Urbe Salutis* a. 152*, 153, 154*, 157, 158, 188, 191, 193*, 196*, 199*, 219*, 230*, 237*, 303*, 304, 306, 307, 308, 313, 326* et 330*. — *El-Muhammediae* a. 148, 183*, 188, 189. — *El-Basrae* a. 295, 326, 333. — *El-Kufae* sine anno. — *Omman* a. 320 (Cfr. Catal. Cl. II, 498 et Hallenberg, *Numm. Orr.*, I, pag. 162). — In *Wasit* a. 287*, 292, 317, 32**. — *Samerrae* a. 255, 290*, 320. — In *el-Ahwaz* a. 260*. — In *el-Mawsil* a. 291*. — In *Nisibin* a. 308. — In *Armenia* a. 252*, 277*. — In *Arran* a. 153*. — In *Tiflis* a. 294. — *Arradjani* a. 329. — In *Faris* a. 291, 312. — In *Zerendj* a. 196*, 201*. — *Nisaburae* a. 200. —

el-Schaschae a. 190*, 260, 268. — In *Maden-el-Schasch* a. 190. — *Samerqandae* a. 197*. — *Bukharae* a. 196* (Hallenberg, l. l. pag. 95, annum 195 male legit). — *El-Abbasiae* a. 166, 17*. — In *Africa* a. 172.

III. Tahiridici.

Numero sex, cusi in *Merw* a. 219, 241*. — In *el-Schasch* a. 220. — In *Maden-el-Schasch* a. 218*. — *Samerqandae* a. 220, 253.

IV. Soffaridicus.

Cusus in *Faris* a. 259?

V. Hamdanidici.

Tres, cusi in *urbe Salutis* a. 320, et duo s. a. et l.

VI. Buwejhidici.

Septem, cusi in *Schiraz* a. 333*, 338. — In *Urbe salutis* a. 338. — In *Barqaid* a. 387 et tres s. l. annis 336 et 340.

VII. Bulgharicus.

Cusus in *Suwar* a. 338.

VIII. Khan Ilek.

Cusus in *Uschkend* a. 39*.

IX. Merwanidicus.

In quo annus et locus oblitterati sunt.

X. Oqailidici.

Tres, cusi in *el-Mawsil* a. 392*, 393*.

XI. Samanidici.

Numero circ. 300, quorum 50 aeri incisi erant, ab anno 280 usque ad 357, et quos in his urbibus cusos vidi: *el-Schasch*, *Samerqand*, *Bukhara*, *el-Khottel*, *Ferghana*, *Balkh*, *Nisabur*, *Enderaba* et *Merw* (a. 306). Quibus accessit aureus a. 323*

el-Muhammediae a Radhi-billaho khalifa cusus, quem HALLENBERG[1] falso contendit, a Muqtedir-Billaho a. 313 esse fabricatum.

Interim horum numorum moles quotannis crescebat, praesertim duobus postremis decenniis, quibus quasi novus ardor natus videbatur antiquitatum patriae cujusvis generis conservandarum, et tanta mox facta est cufica collectio, ut ipsa magnitudine quemvis facile deterreret, qui in ordinem eam redigere cuperet. Neque enim, ut ante consuetudo fuerat, numos quosdam ex omnibus unâ inventis numophylacio segregabant, id quod innumeros disperserat ejusmodi thesauros; sed auctore HILDEBRANDIO, harum quoque rerum sollerti aestimatore, usu venit, omnes ac singulos, qui in terra Sueciae reperiebantur, numos cuficos, quum reipublicae emendi offerrentur, in numophylacium regium inferre. At auctae ita mirum in modum huic supellectili parum utilitatis accessit. Aderant quidem collectiones aliquot minores, quas HALLENBERGIUS ille disposuerat; aderant quoque aliae haud majoris ambitus a P. SJÖBRING, olim L.L. O.O. professore upsaliensi meritissimo, petente academia, explicatae. Supererat tamen maxima pars eaque vera congeries, quae non tempus modo poscebat longius, si rite ea digereretur, sed peritiam etiam, e similibus studiis acquisitam, non vulgarem flagitabat interpretis. Diu sane fuit, quum hae res inprimis animum meum allexerunt; obstabant vero et domicilii a numophylacio magna distantia, et otii inopia. Anno tandem 1859, mediatore amicissimo HILDEBRANDIO, academia permisit, ut omnes, quas numophylacium regium servabat, cuficas collectiones, Upsaliam sensim missas, domi examinarem, et ita post quatuor annorum spatium totius numophylacii cufici recensionem absolvi. Sta-

1) *Berättelse* cet. pag. 253.

tim ab initio comperi, aliorum, quae inerant, explicationes nimis perfunctorias, scientiae progredienti minime satisfacere; ob quam rem involucra numorum abjeci et proprio marte omnes omnino novo subjeci examini. Neque hoc a me arroganter dictum putet aliquis. Quicumque numismaticae orientali animum attenderit diligentiorem, sane videbit, experientiam in hac re optimam esse magistram multasque res huic inesse disciplinae, quas non nisi accurata Orientis cognitio explanare possit. Is igitur bonam laudabit voluntatem, etiamsi ea spe exciderit.

Anno 1846 regium antiquitatum museum et cum eo numophylacium in novas aedes translatum est, et ita demum licuit thesaurum cuficum, ut decuit, disponere. Postquam Holmiae eum denuo examinaveram, plus 7000 numos jam collectos vidi, quos in classes quemque suam redegi, magnum similium numerum separavi et separatos in indicem retuli proprium, fragmenta non idonea et exempla oblitterata igne damnavi, reliquos vero numero circiter 1600 in armario ad id facto rite collocavi et catalogum, quem nunc lectori benevolo trado, parare incepi.

Ratio operis.

Quem in hoc libro adornando secutus sum ordinem, idem est, quem FRÆHNIUS ille, summus harum rerum arbiter, in recensione sua Musei asiatici petropolitani adoptavit, et quo nullum meliorem invenire potui. Deest quidem huic quoque catalogo commentarius, quo et utilius fieret tale opus et fortasse lectorem magis alliceret. At qui bene noverit, quanti ambitus quantique laboris et studii sit ejusmodi prolixior explicatio, is non aegre feret, credo, me primum monumenta ipsa qualia sunt evulgasse et in aliud tempus eorum distulisse illustrationem. Non omnia etiam nunc adsunt documenta, quibus ad talem commentationem recte faciendam opus erit. Multae adhuc restant varii generis quaestiones, huc pertinentes, solvendae, antequam in hoc campo libere vagetur interpres, et tantum abest, ut historia Asiae, quae sola in hac re nos fideliter ducere possit, ex omnibus partibus nobis pateat, ut haud paucis laboret vitiis. Quem ad modum in reliquis Orientis litteris, sic hic quoque nunc temporis praestat, reliquias antiquitatis qua possumus diligentia colligere et collectas publici juris facere, quam opinionibus et judiciis alienis rem obscuram obscuriorem etiam reddere.

Ut ipsa libri inscriptio indicat, hic catalogus nihil complectitur, nisi in Suecia id fuerit inventum. Quum vero in numophylacio idem armarium omnes contineat numos orientales, neque commodum visum fuerit eos a ceteris separare, qui ex exteris terris sint illati, ne conspectus omnium universus nimis turbaretur; interdum factum est, ut series numorum aliquando rumperetur numismatis extraneis. Cujus rei exempla habes in pagg. 13, 22, 24,

29 cet. Ob eandem caussam classes XX—XXII hic non invenies, utpote quae, ut e notula paginae LXXVIII subjecta apparet, tales includant numos, quales apud nos non reperiuntur.

Numos pehlewicos, quorum propriam feci classem, initio plane relinquendos habui, quum et in aliam pertinerent ditionem et subsidia mea ad eos explicandos parum valerent. Ex altera autem parte, si quidem catalogus omnes omnino recenseret oportuit numos orientales, qui in terra suecana essent inventi, locus iis omnino alienus hic non fuit, nisi a ceteris, quibuscum unâ non rari obveniunt, essent separandi. Paucis igitur verbis eos notavi, sperans fore ut sic hanc materiem doctiores ad eos animum adverterent diligentiorem.

Quamquam summo studio elaboravi, ut in classem suam quemque numum recte collocarem, non dubito quin aliquando erraverim. Jam supra dixi viam, quae hic ingredienda est, neque in secunda classe, quae Abbasidarum est, neque in sexta, Tahiridis propria, ubique certam esse et complanatam. Ut in FRAEHNII recensione, sic etiam in mea, inter numos *Haruni el-Reschidi*, multos tam *el-Amini*, quam *el-Mamuni* dirhemos deprehendes, quia consultius duxi hic annorum ordinem servare, quam ut cujusque horum principum numismata, nulla idonea caussa ductus, in unum conferrem. Interdum dubia mea breviter indicavi; alias autem, ambages fugiens, ea reticui. Aequi harum rerum aestimatores facile dijudicabunt, utrum ignorantia hic sit peccatum, an ineluctabili cesserim necessitati. Decima classis, quam nondum apud alios numismatices scriptores allatam vidi, a me addita est, quamvis testimonia historica de hac dynastia, quemadmodum de multis aliis minoris momenti et durationis, fere nihil certi attulerint, id quod, quum in numis

Orientis non raro eveniat, non sufficere mihi videtur ad dynastiam omnino rejiciendam. Praeterea hujus classis dirhemi plurimi ab aliis facillime dignoscuntur et habitu dispari et scriptura diversa: nam solito crassiores, litterarum ductus ostendunt graciliores.

In numis describendis omnia, quae iis insunt, varia ornamenta, signa monetariorum e. s. p. diligenter notavi. Ea enim non solum ad numismata diversa definienda multum afferunt adjumenti; sed etiam, quum variant, numum proprium vere constituere mihi videntur. Eos igitur numos exempla omnino diversa habui, qui talibus signis et ornamentis vel minime ab aliis differebant; quae res maxime in samanidicis cernitur. Si tot ac tantae numorum ejusdem anni et loci varietates monetas diversas vere indicant, id quod neque negare nec affirmare ausim, copiam argenti signati miremur, qualem nusquam nisi in Oriente offendamus.

In prima classe numos ineditos notare, duce Fræhnio, res facillima fuit. In ceteris non item. Primo igitur dubius tales indicavi, post vero, nisi res omnino certa mihi videbatur, hanc significationem plane praetermisi, antiquius habens dirhemos notabiliores in tabulis adjunctis delineatas legentibus proferre.

Si quando inscriptiones mihi obscurae videbantur, eas linea superducta indicavi. Ductus vero litterarum dubios scriptura neskhica notare conatus sum. Ne examini aliorum locus omnino deesset, magnum eorum numerum, praecipue nondum editorum et explicatu difficilium, lapidi incidendum curavi. Has omnes imagines ad ipsos numos a lithographis sollertibus J. F. Meyer et sociis Holmiae fideliter delineatas cum exemplaribus accurate contuli. In votis fuit, ut numorum quoque descriptiones, quae

huic insunt catalogo, ad numismata ipsa corrigere mihi liceret. At primo publicis negotiis Upsaliae detentus, et postea, viginti plagulis jam excusis, Lundam migrare coactus, schedis Holmiae anno 1846 confectis confidere debui, quum nulla collatio ultra institui posset.

Postquam catalogus, index urbium et maxima prooemii pars jam excusa erant, nova e *Gottlandia* numophylacii allata est accessio, quam majoris habui momenti, quam ut eam hic omitterem. E duobus diversis insulae locis provenit. Alter erat *Skäggs, paroeciae Weskinde,* ubi, quum in palude foderetur, 24 integri et 33 confracti numi *Cufici* inventi sunt una cum 243 *Anglosachsonicis,* 1 *Suecano* Olavi Skötkonung, 2 *Danicis* Canuti Magni, 6 *Islandicis*, 4 *Byzantinis* Basilii II et 257 *Germanicis* Praeter tres falsos, Cufici erant: a) 14 Abbasidici a. 155—330 (771—942) in Urbe salutis, el-Mawsil, el-Kufae et Samerrae, b) 21 Samanidici ab Ismailo ben-Ahmed, Ahmedo ben-Ismail, Nasro ben-Ahmed, Nuho ben-Nasr et Mansuro ben-Nuh, a. 285——360 (898—971) cusi. c) Buwejhidicus a. 342 (953). d) 3 Hamdanidici a. 349—351 (960—963) et e) Oqailidicus a. 388 (998) e moneta el-Mawsili. Alter erat *Svenskens, paroeciae Endre,* ubi in agro arando soli *dirhemi* numero 148 integri cum 119 eorum fragmentis, qui constabant ex 1) 23 Umajjadicis a. 86—131 (705—749) in Wasit, Surraq, Merw, Istakhar et el-Schamijae cusis; 2) 205 Abbasidicis a. 132—233 (749—848) el-Kufae, el-Basrae, in Armenia, el-Muhammediae, in Urbe salutis, in Djej, el-Abbasiae, in Africa, in Zerendj, Balkh, Taberistan, Maden-el-Schasch, el-Rafiqae, Samerqandae, in Arran, Bukharae, in Herat, Isbahan, Nisabur, Qasr-Selam, Maden-Bakhi-

nes et Aberschehr. Cui ultimae urbis nomini aliud adjunctum erat, quod سراط legerim. Aliud numisma inerat Khuzaimae ben-Hazim, in quo locum cudendi definire non possum; 3) 24 Tahiridicis, in Isbahan, Maden-Bakhines, Samerqand, el-Schasch, Merw, Qomm, Faris et el-Muhammediae anno 208—242 (823—857) cusis et 4) pehlewicis duobus, quorum alter a Sassanida, alter a praefecto Persidis arabico originem ducebat.

Quae ex his adhuc in numophylacio regio desiderabantur, supplementa ad calcem libri exponunt. Nomina propria in indice horum universali indicata sunt; urbes autem monetales tabula, supplementis subjuncta, dabit.

Dabam Lundae mense Septembris MDCCCXLVIII.



CLASSIS PRIMA.

Numi Khalifarum Umajjadarum orientalium.

Abd-el-Melik ben Merwan

regnavit inde ab anno 65 [684, 5] usque ad annum 86 [705].

1.

Area I: لا اله الا *Non est Deus nisi*
الله وحده *Allah unicus,*
لا شريك له *cui nullus est socius.*

Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بدمشق فى سنة تسع وسبعين *Nomine Dei! Cusus est hic dirhem in Dimeschq* (Damasci) *anno septuagesimo nono* (a. 79 = 698, 9 p. Chr. nat.) Circumdatur circulo triplici, extra quem æquo intervallo quinque ○ posita sunt. Alius etiam circulus omnia cingit.

Area II: الله احد الله *Allah est unus, Allah*
الصمد لم يلد و *æternus; neque genuit nec*
لم يولد ولم يكن *genitus est; nec est*
له كفوا احد *ei æqualis ullus* (Coran. Sur. 112).

Margo inter duos circulos: محمد رسول الله ارسله بالهدى ودين الحق ليظهره على الدين كله ولو كره المشركون *Muhammed est Apostolus Allahi, quem misit directione vera et religione instructum, ut eam omnibus religionibus redderet superiorem, etiamsi plurium deorum cultores detrectarent.* Corani Sur.

9, 33). Prope marginem exteriorem quatuor ○ parva intra circulum, æquo intervallo, conspiciuntur.

Numus rarissimus et totius collectionis antiquissimus.

2.

Cusus بدمشق فى سنة ثمنين *Damasci anno octogesimo* (a. 80=699, 700 p. Chr.). Cetera omnino cum N:o 1 conspirant.

3.

Dimidia pars numi diffracti, qui cusus est بمرو فى سنة ثما *in Merw anno oct-*. — Locus nihil amplius admittere videtur, quam ثمنين *octogesimo*. In Adv. inscriptiones tribus circulis crenatis circumdantur, et in Rev. marginalis inscriptio intra duos ejusmodi exstat. Litteræ crassiores sunt et perspicuæ.

4.

Fragmentum numi cusi بالبصرة فى سنة احدى وثمنين *El-Basræ anno octogesimo primo* (a. 81=700, 1 p. Chr.). In Adv. quatuor circuli crenati ad marginem sunt, inter quorum duos ultimos quinque ○ insunt, æquo intervallo collocata. In Rev. duo ejusmodi circuli marginalem inscriptionem includunt, extra quos quinque ○ vides, ab alio simili cincta.

5.

Fragmentum, quod ornamentis cet. N:m 4 refert. Annum modo ـحدا وثمنين *octogesimum primum* servat. Observes velim modum احدا scribendi inusitatiorem, quo fortasse hic numus ab aliis facile discernatur.

6.

Cusus بسوق مرة فى سنة اثنين وثمنين *in Suq Morra* (urbe Khuzistanæ) *anno octogesimo secundo* (a. 82=701, 2 p. Chr.). Tribus locis perforatus, omnino N:i 4 speciem refert.

Numus rarissimus, nondum editus, in quo primum occurrit hæc urbs monetaria, qua Fræhnii recensio novissima caret.

Abd-el-Melik s. Welid primus

7.

Cusus بواسط فى سنة ست وثمنين *in Wasit anno octogesimo sexto* (a. 86=705). Cetera N:o 4 similia sunt.

—

Welid ben-Abd-Allah

regnavit ab anno 86 usque ad annum 96 [714]

8.

Cusus بواسط فى سنة سبع وثمنين *in Wasit anno octogesimo septimo* (a. 87=705, 6 p. Chr.). Duo fragmenta, quorum alterum alterum complet. N:i 4 speciem referunt.

9.

Fragmentum numi diffracti, in quo locus annusque cudendi desunt. In Rev. area superne stellula conspicitur. Specimen ejusmodi nondum me vidisse memini.

10.

Pars numi fracti, qui cusus est بواسط فى سنة ثمان وثمـ *in Wasit anno octogesimo octavo* (a. 88=706, 7 p. Chr.). Sicut quatuor sequentes, hic etiam N:i 4 ornamenta habet.

11.

Pars numi diffracti, cusi ـمشق سنة ثمان وثمـ in D*imeschq* (Damasci) *anno octogesimo octavo.*

12.

Dimidia pars numi, cusi بدمشق سنة تسع وثمنين *Damasci anno octogesimo nono* (a. 89=707, 8 p. Chr.). Punctum sub ب in بدمشق conspicitur.

13.

Pars numi diffracti, qui cusus est بواسط فى سنة تسع وثمنيـ *in Wasit anno octogesimo nono.*

14.

Cusus بماه في سنة تسعين *in Mahi* (Hamedan) *anno nonagesimo* (a. 90=708, 9 p. Chr.). Rarissimus et unicus adhuc repertus. Cfr. Nova Acta reg. Soc. Scient. Upsal. Vol. XIII p. 112. Ansula nummus munitus est.

15.

Pars nummi diffracti, cusi برامهرمز في سنة تسـ *In Ramhormuz* (urbe Khuzistanæ) *anno nonagesimo* (?). In Adv. duo modo circuli crenati supersunt; in Rev. autem omnia usque ad inscriptionem marginalem detrita sunt. Ineditus. Quum unicus, quem Fræhn afferre potuit, nummus Ramhormuzi, anno 80 sit cusus, fieri potest, ut hìc rectius legas annum 79.

16.

Cusus باصطخر في سنة احدى وتسعين *in Istakhar* (i. e. Persepolis) *anno nonagesimo primo* (a. 91=709, 10 p. Chr.). Ornamenta, ut in tribus proxime sequentibus, speciem N:i 4 referunt. Rarissimus est.

17.

Pars numi diffracti, cusi in — ﻫﺮ في سنة احدى وتسعين — in Aberschehr (nomen *Nisaburi* antiquum) *anno nonagesimo primo.* Hæc urbs, cujus in nostræ collectionis numis umajjadicis mentio iterum occurrit (N:o 33), adhuc inter hujus classis urbes monetales non apparuit. Ineditus igitur est et rarissimus.

18.

Cusus بواسط في سنة اثنين وتسعين *in Wasit anno nonagesimo secundo* (a. 92=710, 1 p. Chr.).

19.

Cusus بواسط في سنة ثلث وتسعين *in Wasit anno nonagesimo tertio* (a. 83=711, 2 p. Chr.).

20.

Pars numi diffracti, cusi بدربجرد في سنة اربع وتسعين - in *Darabdjerd* (urbe Persidis) anno nonagesimo quarto (a. 94=712, 3 p. Chr.). In Adv. tres circuli crenati ad marginem sunt; in Rev. inscriptio marginalis intra duos ejusmodi exstat. Ineditus est et rarissimus.

21.

Pars numi diffracti, cusi نة اربع وتسعين — *anno nonagesimo quarto* sine dubio in Wasit. Ornamenta, quem ad modum in quatuor sequentibus, eadem ac in N:o 4 sunt.

22.

Cusus بواسط في سنة خمس وتـ - *in Wasit anno nonagesimo quinto* (a. 95=713, 4 p. Chr.). Ansula cuprea munitus est.

23.

Pars numi diffracti, qui cusus est بماهي في سنة خمس وتـ - *in Mahi* (Hamedan) *anno nonagesimo quinto.* Rarissimus et ineditus.

24.

Pars numi diffracti, cusi صطخر في سنة خمس و - in *Istakhar anno* nonagesimo *quinto.* Ineditus et rarissimus est.

25.

Pars numi diffracti, cusi ور في سنة خمس وتسعين - in Sab*ur* (urbe Persidis) *anno nonagesimo quinto.*

26.

Pars numi diffracti, cusi وق الاهوز في سـ - in *Suq el-Ahwaz* (urbe Khuzistanæ) *anno* - - .

27.

Pars numi diffracti, cusi بسرق في - *in Sorraq* (urbe Khuzistanæ).

28.

Pars numi, cusi - بمنا *in Menadhir* (urbe Khuzistanæ). Rarissimus.

29.

Pars numi, cusi - بكرمان في سنة - *in Kerman* (i. e. El-Sirdjan) *anno-*. Ornamenta eadem, ac in N:o 4.

Welid primus s. Suleiman.

30.

Pars numi diffracti, cusi - بواسط في سنة ست وتس - *in Wasit anno nonagesimo sexto* (a. 96=714, 5 p. Chr.). Cetera N:o 4 similia sunt, ut in quinque proximis.

31.

Cusus بدستوا في سنة ست وتسعين *in Destuwa* (urbe Khuzistanæ) *anno nonagesimo sexto*. Rarissimus, ineditus. Ex hoc loco antea unus modo innotuit, anno 93 cusus. Vide Fræhn, Quinque centuriæ.

32.

Dimidia pars numi diffracti, cusi - ارمينية سنة ست وتسعين - in *Arminijja* (i. e. Armenia pro Dowin, regionis capite) *anno nonagesimo sexto*. Rarissimus et ineditus.

33.

Pars numi diffracti, cusi - بابرشهر في سنة ست و- *in Aberschehr anno — sexto*. Et propter N:um 17 et ob præpositionem في, in numis posterioribus haud obviam, hunc numum ineditum et rarissimum esse putavi.

34.

Pars numi diffracti, cusi - لتيمرة في سنة ست و- in *El-Teimera* (urbe Iraqæ persicæ) *anno — sexto*. Quum in recensione Fræhnii (Quinque centuriæ) ante annum 90 nullus ex

hujus urbis moneta numus inveniatur, verisimillimum habui, hunc ad annum 96 esse referendum.

35.

Pars numi diffracti, cusi ـ في العسه المدينة ـ *in urbe el-* Frustra nomen loci, quod huic quadraret scriptioni, apud geographos orientales quæsivi. Ceterum primum hic offertur.

Suleiman ben Abd-el-Melik

regnavit ab anno 96 usque ad annum 99 [717].

36.

Pars numi diffracti, cusi ـ في سنة سبع وتسعين *anno nonagesimo septimo* (a. 97=715, 6 p. Chr.). Ornamenta marginum detrita sunt.

37.

Pars numi diffracti, cusi ـ صطخر في سنة ثم ـ ـ in *Istakhar anno oc*togesimo, l. octogesimo octavo l. denique nonagesimo octavo. Rarissimus est et nondum editus.

38.

Cusus بسابور في سنة ثمان وتسعين *in Sabur anno nonagesimo octavo* (a. 98=716, 7 p. Chr.). Sub ب in urbis nomine primo punctum exstat.

Suleiman s. Omar.

39.

Pars numi diffracti, cusi بواسط سنة تسع وتسعين *in Wasit anno nonagesimo nono* (a. 99=717, 8 p. Chr.).

Omar ben-Abd-el-Aziz.

regnavit inde ab anno 99 usque ad annum 101 [719, 20].

40.

Pars numi diffracti, cusi ـ خر سنة مية in *Istakhar anno*

centesimo (a. 100=718, 9.). Rarissimus.

Jezid secundus ben-Abd-el-Melik

regnavit inde anno ab 101 usque ad annum 105 [723, 4].

41.

Pars numi diffracti, cusi --بافريقية *in Afriqija* (i. e. Lybia, pro capite regionis El-Qairewan. Fieri potest, ut ad tempora Hischami rectius referatur.

42.

Cusus بواسط سنة اربع ومية *in Wasit anno centesimo quarto* (a. 104=722, 3 p. Chr.). In Adv. prope marginem quatuor sunt circuli crenati, et inter duos extremos quater ∞ æquo intervallo exstat. Rev. speciem N:i 4 refert.

Hischam ben-Abd-el-Melik

regnavit inde ab anno 105 usque ad annum 125 [742, 3].

43.

Cusus بواسط سنة ست ومية *in Wasit anno centesimo sexto* (a. 106=724, 5 p. Chr.). Ornamenta eadem ac in N:o 42.

44.

Cusus بواسط سنة سبع ومية *in Wasit anno centesimo septimo* (a. 107=725, 6 p. Chr.). In Adv. idem circuli, ac in N:o 42 conspiciuntur, at hîc ter ◎ inter extremos exstat. Rev = 42.

45.

Cusus بواسط سنة تسع ومية *in Wasit anno centesimo nono* (a. 109=727, 8 p. Chr.). Rarissimus, de quo cfr. Nova Acta reg. Soc. Scient. Ups. Vol. XIII p. 113. Ornamenta eadem ac in N:o 44, id quod etiam valet de sex proxime sequentibus numis.

46.

Pars numi diffracti, cusi -سنة عشرة ومية *anno centesimo*

decimo (a. 110=728, 9 p. Chr.). Sine dubio e Wasitæ moneta prodiit.

47.

Cusus بواسط سنة اثنى عشرة ومية *in Wasit anno centesimo duodecimo* (a. 112=730, 1 p. Chr.).

48.

Pars numi diffracti, cusi ـ ثلث عشرة ومية ـ *anno centesimo decimo tertio* (a. 113=731, 2 p. Chr.).

49.

Cusus بواسط سنة ست عشرة ومية *in Wasit anno centesimo decimo sexto* (a. 116=734, 5 p. Chr.).

50.

Pars numi diffracti, cusi ـ واسط سنة سبع عشرة و ـ *in Wasit anno centesimo decimo septimo* (a. 117=735, 6 p. Chr.).

51.

Pars numi diffracti, cusi ـ سنة تسع عشرة ـ *anno* centesimo *decimo nono* (a. 119=737 p. Chr.). Quum ceteris numis wasitensibus similis sit, non dubito huic urbi eum adscribere, ideoque inter rarissimos est habendus.

52.

Pars numi diffracti, cusi ـ كوفة سنة ـ *el-Kufae anno* fortasse eodem, vel paullo ante. Ornamenta = 4.

53.

Pars numi diffracti, cusi بواسط سنة عشرين و ـ *in Wasit anno* centesimo *vigesimo* (a. 120=737, 8 p. Chr.). In Adv. tres sunt circuli, quorum inter extremos quinque O æquo intervallo sunt; ad marginem circulus est crenatus. In Rev. inscriptio marginalis intra duos circulos est, extra quos quinquies O repetitur. Ad marginem circulus exstat crenatus.

54.

Casus بواسط سنة احدى وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo primo* (a. 121=738, 9 p. Chr.). Ut quatuor sequentes, sic hic ornamenta habet eadem, ac N. 53.

55.

Casus بواسط سنة اثنتين وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo secundo* (a. 122=739, 40 p. Chr.).

56.

Casus بواسط سنة ثلث وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo tertio* (a. 123=740, 1 p. Chr.).

57.

Casus بواسط سنة ربع وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo quarto* (a. 124=741, 2 p. Chr.).

Hischam s. Welid secundus.

58.

Casus بواسط سنة خمس وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo quinto* (a. 125=742, 3 p. Chr.).

Welid secundus s. Jezid tertius s. Ibrahim

qui regnarunt annis 125-126.

59.

Casus بواسط سنة ست وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo sexto* (a. 126=743, 4 p. Chr.).

60.

Pars numi diffracti, cusi بدمشق سنة ست وع- *Damasci anno centesimo vigesimo sexto.* Ornamenta eadem ac in N:o 4.

Ibrahim s. Merwan secundus.

61.

Pars numi diffracti, cusi بدمشق سنة سبع - *Damasci anno* centesimo vigesimo *septimo* (a. 127=744, 5 p. Chr.). Ornamenta ut in N:o 4.

Merwan secundus ben-Muhammed

regnavit inde ab anno 127 usque ad annum 132 [749, 50].

62.

Cusus بواسط سنة ثمان وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo octavo* (a. 128=745, 6 p. Chr.). In Adv. quatuor insunt circuli crenati, quorum inter extremos septem O conspiciuntur.

63.

Pars numi diffracti, cusi بالجز - *El-Djezirae* (i. e. El-Djezirat-ibn-Omar in Mesopotamia) probabile intra annos 127-129. In Adv. tres apparent circuli crenati, et inter extremos eorum, ni fallor, quinque O fuerunt.

64.

Duæ partes, quæ altera alteram suppleant, numi casi بواسط سنة تسع وعشرين ومية *in Wasit anno centesimo vigesimo nono* (a. 129=746, 7 p. Chr.). In Adv. tres circuli crenati sunt, in quorum extremi margine quinquies oo repetuntur; Rev. ornamenta solita habet.

65.

Cusus بواسط سنة ثلثين ومية *in Wasit anno centesimo trigesimo* (a. 130=747, 8 p. Chr.). Ut in sequente, sic hic ornamenta eadem ac in N:o 64 sunt.

66.

Pars numi diffracti, cusi - سنة احدى وثلثي - *anno* centesimo *trigesimo primo* (a. 131=748, 9 p. Chr.) sine dubio in Wasit.

CLASSIS SECUNDA.

Numi Khalifarum Abbasidarum.

Abu-l-Abbas el- Saffah

regnavit inde ab anno 132 usque ad annum 136 [753, 4].

1.

Ar. I: لا الـه الا *Non est Deus nisi*
الله وحده *Allah unicus,*
لا شريك له *cui nullus est socius.*

Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالكوفة سنة اثنتين وثلثين ومية *Nomine Dei cusus est hic dirhem el-Kufae anno centesimo trigesimo secundo* (a. 132=749, 50 p. Chr.). Circulus triplex, in quo quater ∘∘∘ repetitum est, inscriptiones cingit.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Margo, extra circulum triplicem, verba Corani Sur. 9, 33, ut in umajjadicis, continet, quæ omnia circulus, cui quinque O, æquali intervallo, insunt, complectitur.

2.

Cusus بالكوفة سنة ثلث وثلثين ومية *el-Kufae anno centesimo trigesimo tertio* (a. 133=750, 1 p. Chr.). Ornamenta et cetera eadem ac in N:o 1.

3.

Cusus بالبصرة سنة ثلث وثلثين ومية *el-Basrae anno centesimo trigesimo tertio.* Ad marginem Adv. tres ⊙ cum tribus ∘∘∘ alternis. Cetera = 1.

4.

Pars numi diffracti, cusi بالكوفة سنة اربع وثلث- *el-Kufae anno centesimo trigesimo quarto* (a. 134=751, 2 p. Chr.).

Cetera = **1**, ut proxime sequentes.

5.

Cusus بسوق الاهوز سنة اربع وثلثين ومية *in Suq el-Ahwaz anno centesimo trigesimo quarto.* Rarissimus et ineditus.

6.

Cusus برامهرمز سنة اربع وثلثين ومية *in Ramhormuz anno centesimo trigesimo quarto.*

7.

Cusus بالبصرة سنة خمس وثلثين ومية *el-Basrae anno centesimo trigesimo quinto* (a. 135=752, 3 p. Chr.). Rarus.

8.

Cusus بالكوفة سنة ست وثلثين ومية *el-Kufae anno centesimo trigesimo sexto* (a. 136=753, 4 p. Chr.).

9.

Cusus بالبصرة سنة ست وثلثين ومية *el-Basrae anno centesimo sexto.*

In Adv. ad marginem triplex est circulus, ad quem ter o cum ter ooo alternant. Rev. = **1.**

El-Mansur

regnavit inde ab anno 136 usque ad annum 158 [774, 5].

11.

Cusus بالكوفة سنة سبع وثلثين ومية *el-Kufae anno centesimo trigesimo septimo* (a. 137=754, 5. Chr.) = **1.**

12

Pars numi diffracti, cusi بالبصرة سنة سبع وثلثين ومية *el-Basrae anno centesimo trigesimo septimo.*

In Adv. prope marginem triplex est circulus, ad quem tres oo cum tribus ooo alternant; Rev. = **1.** Rarus.

13.

Cusus بالبصرة سنة ثمان وثلثين ومية *el-Basrae anno centesimo trigesimo octavo* (a. 138=755, 6 p. Chr) = 1.

Exemplar aliud adest, quod, litteris minutioribus, ter o cum ter ooo alternatim in Adv. habet; in Rev. autem inscriptio areae circulo punctato circumdatur, et marginis circulus sex (•) puncta conspicienda præbet.

14.

Cusus بالبصرة سنة تسع وثلثين ومية *el-Basrae anno centesimo trigesimo nono* (a. 139 = 756, 7 p. Chr.) = 1.

15.

Cusus بالكوفة سنة اربعين ومية *el-Kufae anno centesimo quadragesimo* (a. 140=757, 8 p. Chr.).

Si sex O, quæ in margine Adv. sunt, exceperis, omnino speciem N:i 1 refert.

16.

Cusus بالبصرة سنة اربعين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo.*

In Adv. circuli sunt punctati, et ter ∞ cum quater o alternant. In Rev. area duobus modo circulis cingitur.

17.

Cusus بالبصرة سنة اربعين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo.*

In Adv. tres oo insunt, qui cum tribus ◎ alternant.

In Ar. II infra legitur عبد i. e. *Abd-Allah.* Ceteroquin = 1. Notabilis.

18.

Ibidem eodem anno cusus, qui nomine illo in Ar. II caret.

19.

Cusus بالعباسية سنة اربعين ومية *El Abbasijae* (urbis Afri-

canae) *anno centesimo quadragesimo.*

Litteræ eandem præ se ferunt speciem, ac in numis recentioribus ex hujus urbis moneta.

In Ar. II supra apparent ✲✲ Si recte legerim, ineditus est et rarissimus.

20.

Cusus بالكوفة سنة احدى واربعين ومية *el-Kufae anno centesimo quadragesimo primo* (a. 141=758, 9 p. Chr.).

Ornamenta eadem ac in N. 17. In Ar. II infima ∴

21.

Pars numi fracti, cusi بالبصرة سنة ثنتين واربع — — *el-Basrae anno* centesimo *quadragesimo secundo* (a. 142=759, 60 p. Chr.).

Ornamenta in Adv. ter ∘∘∘ repetita sunt.

22.

Cusus بالكوفة سنة ثلث واربعين ومية *el-Kufae anno centesimo quadragesimo tertio* (a. 143=760, 1 p. Chr.).

In Ar. II infra ∴ ; ceteroquin = 17.

Exemplar adest sine ∴ et quod in Adv. ter ∘∘∘ repetita habet.

23.

Cusus بالبصرة سنة اربع واربعين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo quarto* (a. 144 = 761, 2 p. Chr.).

In Ar. II infra س i. e. سلام *integer.* Ornamenta eadem ac in N:o 17.

24.

Pars numi diffracti, cusi اربع واربعين ومية — anno *centesimo quadragesimo quarto* fortasse el-Kufæ.

In Adv. duplex modo est circulus cum tribus ◎ qui cum tribus ∘∘ alternant; etiam in Ar. II circulus modo duplex est.

25.

Cusus بالكوفة سنة خمس واربعين ومية *el-Kufae anno cente-*

simo quadragesimo quinto (a. 145=762, 3 p. Chr.) = N:o 17.

26.

Cusus بالبصرة سنة خمس واربعين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo quinto.*

In Adv. ter ••• cum ter ⊙ alternis. In Ar. II infra س exstat.

27.

Cusus بالرى سنة خمس واربعين ومية *in el-Rej anno centesimo quadragesimo quinto.*

In adv. ter ooo cum ter ◎ extra circulum triplicem alternant. Rarissimus et ineditus.

28.

Cusus باردشير خرة سنة خمس واربعين ومية *Ardeschir-Khurrae* (i. e. urbs *Djur* postea *Firusabad* appellata) *anno centesimo quadragesimo quinto.*

In Adv. ter ∞ alternatim cum ter ◎ in circulo triplici insunt. Numus rarissimus et notabilis.

29.

Cusus بالبصرة سنة ست واربعين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo sexto* (a. 147=763, 4 p. Chr.).

In Ar. II infra o. Ornamenta eadem ac in N:o 28.

30.

Cusus باردشير خرة سنة ست واربعين ومية *Ardeschir-Khurrae anno centesimo quadragesimo sexto.*

Ornamenta ut in N:o 28. Rarissimus, notabilis et ineditus.

31.

Cusus بالرى سنة سبع واربعين ومية *in el-Rej anno centesimo quadragesimo septimo* (a. 147=764, 5 p. Chr.).

Ornamenta eadem ac in N:o 28.

Ar. II: مما امر به ا *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit e -*
لمهدى محمد *l-Mehdi Muhammed*

بن امير المومنين *filius Principis fidelium.*
Hæc inscriptio duplici cingitur circulo. Litteræ solito crassiores sunt. Rarus et notabilissimus.

32.

Cusus بارمنية سنة سبع واربعين ومية *in Arminijja* (i. e. Dowin) *anno centesimo quadragesimo septimo.*

Ornamenta sunt tres oo et tres ○ alternatim dispositi; in Rev. duplex circulus arcam cingit, præterea = 1. Rarissimus est et ineditus.

32[a].

Cusus بالبصرة سنة سبع واربعين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo septimo.*

Ornamenta ut in N. 32.

Ar. II infima . est et circa eam duplex circulus; ceteroquin = 1.

33.

Cusus بمدينة السلام سنة ثمان واربعين ومية *in Urbe salutis* (i. e. Bagdad) *anno centesimo quadragesimo octavo* (a. 148 = 765, 6 p. Chr.).

Ar. II infra ج i. e. بخ *bonus*; cfr. Stickel, I, p. 54.

Ornamenta eadem ac in N. 32. Rarus; cfr. Stickel, I, p. 53.

34.

Cusus بالمحمدية سنة ثمان واربعين ومية *el-Muhammedijjae* (i. e. El-Rej) *anno centesimo quadragesimo octavo.*

Ornamenta = 28. Ar. II = 31.

Rarissimus et ineditus primusque est, in quo el-Muhammediæ nomen occurrit.

35.

Cusus بالبصرة سنة ثمـ عين ومية *el-Basrae anno centesimo quadragesimo octavo.*

Ornamenta sexies ∞. Ar. II infra •• habet.

Foramen mediam perrupit marginis inscriptionem. Rarus et ineditus.

36.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع واربعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo quadragesimo nono* (a. 149=766, 7 p. Chr.).

Ornatus est duplici circulo ad marginem posito, cui tres ○ cum tribus •• alternantes insunt.

Ar. II infra بخ i. e. بخ Area duplici cingitur circulo.

37.

Cusus بالمحمدية سنة تسع واربعين ومية *el-Muhammediae anno centesimo quadragesimo nono.*

Ornatus est triplici circulo, in quo quatuor ∞ positi sunt.

Ar. II: مما امر به ا *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit e-*
لمهدى محمد *l-Mehdi Muhammed,*
بن امير المومنين *filius Principis fidelium.*

Supra ο et infra ع i. e. عدل *justus* cernitur. Area duplici circulo circumdata est. Rarus et notabilis.

38.

Cusus بمدينة السلام سنة خمسين ومية *in Urbe Salutis anno centesimo quinquagesimo* (a. 150=767, 8 p. Chr.).

Ornamenta = 36. Ar. II infra بخ

39.

Cusus بالمحمدية سنة خمسين ومية *el-Muhammediae anno centesimo quinquagesimo.*

Congruit cum N:o 37, et in Ar. II infra est عـ i. e. عدل *justus.* Notabilis.

40.

Cusus *ibidem eodem anno* congruit cum præcedenti: at in Ar. I infima habet ✲ et litteræ hic sunt exiliores. Ineditus et rarus.

41.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Ornatur sex o, qui ad circulum simplicem positi sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*

· رسول *legatus*

الله *Dei est*

Infra ع ع adsunt et area circumdatur circulo punctato. Solito crassior est, rarus et ineditus.

42.

Cusus بمدينة سمرقند سنة خمسين ومية *in urbe Samerqand anno centesimo quinquagesimo.*

Ornatur quinque o ad circulum duplicem crenatum.

Ar. II = 39. Rarissimus et ineditus. Hic primus est, qui e moneta Samerqandæ prodiit numus.

43.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى وخمسين ومية *in Urbe Salutis anno centesimo quinquagesimo primo* (a. 151=768, 9 p. Chr.).

Ornamenta eadem ac in N:o 31.

Ar. II, quæ duplici circumdatur circulo, infra habet ع

44.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى وخمسومية *in Urbe Salutis anno centesimo quinquagesimo primo.* Ornamenta = N:o 41.

Ar. II supra • habet, quod etiam inter secundum ac tertium inscriptionis versum cernitur; infra ع ع. Duplex circulus circa aream est. Solito crassior et rarus.

45.

Cusus بالمحمدية سنة احدى وخمسين ومية *el-Muhammediae anno centesimo quinquagesimo primo.*

Ornamenta quatuor oo.

Ar. II congruit cum N:o 39. Rarus.

46.

Cusus بمدينة السلام سنة اثنتين وخمسين ومية *in Urbe salu-*

tis anno centesimo quinquagesimo secundo (a. 152=769, 70 p. Chr.). Ornamenta = 31.

Ar. II infra ⸮ et in ceteris = 43.

47.

Pars numi diffracti, cusi ـية سنة اثنتين وخمسين ومية el-Muhamme*diae eodem anno.*

Ornamenta congruunt cum N:o 37 et Ar. II cum N:o 39. Notabilis.

48.

Cusus بمدينة السلام سنة ثلث وخمسين ومية *in Urbe Salutis anno centesimo quinquagesimo tertio* (a. 153=770 p. Chr.).

Ornamenta tres oo cum tribus o alternantes.

Ar. II infima ⸮ habet.

49.

Pars numi diffracti, cusi ـة سنة ثلث وخمسين ومية el-Muhammed*iae anno centesimo quinquagesimo tertio.*

Ornamenta = N. 37.

Ar. II = N. 39, vocabulum المهدى autem hic in uno versu est.

50.

Cusus باران سنة ثلث وخمسين ومية *in Arran* (i. e. Berdaæ) *anno eodem.* In margine superiore extra inscriptiones بكار *Bekkar* apparet.

Ornamenta eadem ac in N:o 39.

Ar. II congruit cum præcedenti.

51.

Cusus بمدينة السلام سنة اربع وخمسين ومية *in Urbe Salutis anno centesimo quinquagesimo quarto* (a. 154=770, 1 p. Chr.).

Ornatur tribus oo in circulo duplici positis.

Ar. II infima ⸮ ⸮ Area duplici circulo circumdatur.

52.

Cusus بالمحمدية سنة اربع وخمسين ومية *el-Muhammediae*

anno eodem.

Ornamenta sunt quinque ○ in circulo triplici.

Ar. II: ممـا امـر بـه *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit*
المهدى محمد *El-Mehdi Muhammed,*
بن امير المومنين *filius Principis fidelium.*

Area circulo duplici cingitur. Supra • et infra ، cernitur. Cfr. Stickel, I, p. 64. Rarus.

53.

Cusus بمدينة السلام سنة خمس وخمسين ومية *in Urbe salutis anno centesimo quinquagesimo quinto* (a. 155=771, 2 p. Chr.).

Ornamenta eadem ac in N:o 31

In Ar. I infima ••

A. II infra ع ع et = N. 51.

54.

Cusus بالمحمدية سنة خمس وخمسين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornatur quinque ○ in circulo triplici positis.

Ar. II = N. 52: infra ○

55.

Pars numi diffracti, cusi بالعباسية سنة خمس وخمسي - *el-Abbasiae anno eodem.* Rarus.

56.

Cusus بمدينة السلام سنة ست وخمسين ومية *in Urbe salutis anno centesimo quinquagesimo sexto* (a. 756=772, 3 p. Chr.).

Ornatur quinque ○ in circulo triplici.

Ar. II infima ع ع

57.

Cusus *ibidem eodem anno*, at litteris ornamentisque exilioribus, neque in Ar. II infima aliquid habet. Rarus.

58.

Cusus بالعباسية سنة ست وخمسين ومية *el-Abbasiae eodem anno.*

Ar. II infima: يزيد *Jezid.*

Area circulo punctato cingitur. Notabilis, at valde detritus.

59.

Cusus بمدينة السلام سنة سبع وخمسين ومية *in Urbe salutis anno centesimo quinquagesimo septimo* (a. 157=773, 4 p. Chr.). Ornamenta = 51

Ar. II suprema • infima خ خ habet.

60.

Cusus *ibidem eodem anno* cum N:o 59 congruit; at • in Ar. II caret.

62.

Cusus بمدينة السلام سنة ثمان وخمسين ومية *in Urbe salutis anno centesimo quinquagesimo octavo* (a. 158=774, 5 p. Chr.). Ornamenta = 60.

Ar. II infima خ ر خ habet. Notabilis.

63.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Numo præcedenti similis, at in Ar. II infima modo خ خ habet.

El-Mehdi,

regnavit inde ab anno 158 usque ad annum 169 [785, 6].

64.

Pars numi diffracti, cusi بمدينة السلام سنة تسع وخمسين ومية *in Urbe salutis anno centesimo quinquagesimo nono* (a. 159=775, 6 p. Chr.). Ornamenti reliquiæ sunt triplex circulus cum ∞

Ar. II: ـد رسـول — Muhammed *est legatus*
صـلـى الـلـه — Dei. *Deus benedicat*
سلم — — ci et *salutem reddat.*
ـدى — Khalifa el-Meh*di.*

65.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع وخمسين ومية *ibidem eodem anno.* Ornatur tribus ○ cum ter ○○ alternatim extra circulum triplicem positis.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير الامين *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Supra و i. e. وفا *justi ponderis*, infra جعفر *Djafar.*
Inscriptio a circulo punctato cingitur. Modulus solito minor.

66.

Cusus بالمحمدية سنة تسع وخمسين ومية *el-Muhammediae eodem anno.* Ornamentum quater ○○ in circulo triplici.

Ar. II: مـمـا امـر بـه *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit*
المـهـدى محمد *el-Mehdi Muhammed,*
بن امير المومنين *filius Principis fidelium.*

Supra و infra عـ i. e. عدل *justus.*

67.

Cusus بالعباسية سنة تسع وخمسين ومية *el-Abbasiae eodem anno.* Ornatur sexies ∞

Ar. II: محـمـد *Muhammed est*
رسـول *legatus*
الـلـه *Dei.*

Supra ع, infra يزيد *Jezid.*
Cingitur area circulo punctato. Notabilis.

68.

Cusus بمدينة السلام سنة ستين ومية *in Urbe salutis anno*

centesimo sexagesimo (a. 160=776, 7 p. Chr.). Ornamenta = 65.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله صلى الله *Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem reddat.*
الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi*

Infra • Circulus aream cingens simplex est.

69.

Cusus *ibidem eodem anno* cum N. 68 congruit, at • in Rev. non habet.

70.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Ar. II: محمد *Muhammed est*
رسول *legatus*
الله *Dei*

Infra ج ج exstat.

Circulus duplex aream ambit. Crassus est et litteræ pinguiores.

71.

Cusus بالبصرة سنة ستين ومية *el-Basrae eodem anno.* Ornamentum: sexies ° in circulo triplici.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
صلى الله عليه وسلم *Deus ei benedicat et salutem præstet*
الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi*
محمد *Muhammed.*

Duplex circulus circa aream.

75.

Cusus بالمحمدية سنة ستين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornatur tribus o cum tribus ∞o alternantibus.

Ar. II = N. 68 excepto • infra.

76.

Cusus *ibidem anno eodem* 160.

Ar. II: محمد *Muhammed est*

رسول *legatus*

الله *Dei.*

Infra & exstat. Circulus punctatus circa aream est. Solito crassior, et litteræ pinguiores.

77.

Cusus بالعباسية سنة ستين ومية *el-Abbasiae eodem anno.* Ornamenta: sexies o

Ar. II: محمد *Muhammed est*

رسول *legatus*

الله *Dei.*

Infra يزيد *Jezid*, supra o

Rarus et notabilis.

78.

Cusus *ibidem eodem anno.*

In Ar. II supr. على *Ali* seu حلب cernitur. Ceteroquin cum N. 77 congruit. Rarus et ineditus.

79.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo primo* (a. 161=777, 8 p. Chr.).

Ornamenta: tres ∞ cum tribus o alternantes.

Ar. II = N. 75 et infra • habet.

80.

Cusus بالمحمدية سنة احدى وستين ومية - el-Muhammediae *eodem anno.*

Ornamenta et Ar. II = N. 75.

Duo sunt fragmenta, alterum alterum explicans.

81.

Cusus *ibidem eodem anno*, N: 80 similis, at solito cras-

sior est litteræque pinguiores.

82.

Cusus *ibidem eodem anno* 161. Ornatur quinquies oo

Ar. II: مما امر به *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit*
المهدى محمد *el-Mehdi Muhammed,*
بن امير المومنين *filius Principis fidelium.*

Supra exstat و infra عـ

Rarus et ineditus.

83.

Cusus بالبصرة سنة احدى وستين ومية *el-Basrae eodem anno.*

Ornamenta: tres ⊚ cum tribus o alternantes.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
صلى الله عليه وسلم *Deus ei benedicat et salutem præstet.*
الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi*
محمد *Muhammed.*

Duplex circulus aream cingit.

84.

Cusus بارمينية سنة احدى وستين ومية *in Armenia* (i. e. Dowin, s. Berda') *anno eodem.*

Ornamenta: tres oo cum tribus o alternantes.

Ar. II omnino congruit cum N. 82. Rarus est et ineditus.

85.

Cusus بالعباسية سنة احدى وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Ornatur sexies o

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *est legatus*
الله *Dei*

Supra خ et infra يزيد *Jezid.* Circulus punctatus aream cingit.

86.

Cusus بمدينة السلام سنة اثنتين وستين ومية *in Urbe Salutis anno centesimo sexagesimo secundo* (162=778, 9 p. Chr.).

Ornamenta eadem atque in N. 84.

Ar. II congruit cum N. 83 at infra est •

88.

Pars nummi diffracti, cusi ـصرة سنة اثنتين وستين ومية el-*Basrae eodem anno.*

Ornam. quinque s. sex ∘ supra circulum punctatum positi.

Ar. II: —

الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi.*

محمد *Muhammed.*

Congruit igitur cum N:o 83. Circulus duplex punctatus aream ambit.

89.

Cusus بمدينة جى سنة اثنتين وستين ومية *in urbe Djej* (quæ pars erat Ispahani) *eodem anno.*

Ornatui sex ◎ sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*

الله صلى الله *Dei. Deus benedicat*

عليه وسلم *ei et salutem præstet.*

الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi.*

Infra يحى i. e. يحيى *Jahia* l. potius بجى *in Djej.* Notabilis.

90.

Cusus بالعباسية سنة اثنتين وستين ومية *el-Abbasiae eodem anno.*

Omnino cum N. 85 congruit. Adest exemplar. 90[a], in cujus Area II suprema ∘ exstat.

91.

Cusus بمدينة السلام سنة ثلث وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo tertio* (a. 163=779, 80 p. Chr.).

Ornatur triplici circulo, ad quem tres •• alternatim cum tribus ₒ positi sunt.

Ar. II similis N:o 89, at infra . habet et circulum simplicem.

92.

Cusus *ibidem eodem anno* 163.

Ornamento sunt sex ₒ ad duplicem circulum.

Ar. II cum 91 congruit, at infra ∴ exstat et circulus duplex est.

93.

Cusus *ibidem eodem anno*, congruit cum præcedenti.

In Ar. II autem supra cernitur . et infra ••

94.

Cusus بالعباسية سنة ثلث وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Ornamento sunt sex ₒ in circulo duplici.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *est legatus*
الله *Dei.*

Supra ₒ et infra يزيد *Jezid* exstat.

95.

Cusus بمدينة السلام سنة اربع وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo quarto* (a. 164=780, 1 p. Chr.).

Ornatur circulo triplici, ad quem tres ₒₒ alternatim cum tribus ₒ positi sunt.

Ar. II similis est N:o 89, at infra . exstat et circulus simplex est.

96.

Cusus بالعباسية سنة اربع وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Ornamenta et Ar. II = N. 94.

98.

Cusus بمدينة السلام سنة خمس وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo quinto* (a. 165=781, 2 p. Chr.).

Ornatur quatuor oo ad circulum triplicem positis.

Ar. II congruit cum N: 89, infra autem خ exstat, et circulus circa aream simplex est.

99.

Cusus بالمحمدية سنة خمس وستين ومية *el-Muhammediae anno eodem.* Ornamento sunt tres •• et tres o alternatim supra triplicem circulum crenatum collocati.

Ar. II similis est præcedenti; at infra ه adest et duplex circulus aream ambit.

101.

Cusus بكرمان سنة خمس وستين ومية *in Kerman* (i. e. el-Sirdjan) *eodem anno.*

Ornamenta = N. 95.

Ar. II congruit cum N. 89, infra autem ر exstat et circulus simplex aream cingit.

Rarissimus et ineditus.

102.

Pars numi diffracti, cusi بالعباسية سنة خمس وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Omnino N: 94 similis est.

105.

Cusus بالمحمدية سنة ست وستين ومية *el-Muhammediae anno centesimo sexagesimo sexto* (a. 166=782, 3 p. (Chr.).

Ornatur tribus o, qui cum totidem oo supra circulum duplicem alternant.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*

الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi*
Infra م est et duplex circulus circa aream.

106.

Cusus باليمامة سنة ست وستين ومية *in el-Jemama* (i. e. Hadjr) *eodem anno.* 166

Ornamento sunt sex o in circulo triplici.

Ar. II congruit cum præcedenti, at infra occurrit حجر *Hadjr.*

Rarissimus et ineditus.

107.

Cusus بكرمان سنة ست وستين ومية *in Kerman eodem anno.*

Ornamenta sunt quinque o supra circulum duplicem.

Ar. II congruit cum N:o 105, at supra o habet et infra بخ Circulus simplex aream cingit. Rarus et Notabilis.

108.

Cusus باذربيجان سنة ست وستين ومية *in Adherbidjan* (i. e. Ardebil) *anno eodem.*

Ornatur duplici circulo, cui appositi sunt octo o

Ar. II similis N:o 105, præter quod circulus cingens aream hic est simplex et infra conspicitur بكر *Bekkar.*

Rarissimus est et ineditus.

109.

Cusus بالعباسية سنة ست وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem*

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra o, infra يزيد *Jezid* exstat.

110.

Pars numi diffracti, cusi - سنة ست وستين ومية *anno eodem.*

Ornamenta, quæ supersunt, duo o intra duplicem circu-

lum crenatum.

Ar. II similis est N:o 105, at infra •• habet.

111.

Cusus بالمحمدية سنة سبع وستين ومية *el-Muhammediae anno centesimo sexagesimo septimo* (a. 167=783, 4 p. Chr.).

Ornatur tribus •• et totidem o alternatim collocatis.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi*

Supra •; infra vero بخ exstat. Circulus duplex aream ambit.

112.

Cusus بكرمان سنة سبع وستين ومية *in Kerman* (i. e. el-Sirdjan) *anno eodem.*

Quinque o ad duplicem circulum positis ornatur.

Ar. II cum præcedente congruit; at supra ≦ et infra بخ est. Circulus simplex.

Rarissimus et ineditus.

113.

Cusus بافريقية سنة سبع وستين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *anno eodem.*

Ornamento sunt sex ◎ supra circulum triplicem.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est*

Supra بخ infra يزيد *Jezid.*

114.

Cusus بالعباسية سنة سبع وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem.* Sex o ad circulum simplicem positi ornamento sunt.

Ar. II cum N:o 113 congruit, præter quod supra o conspicitur.

115.

Cusus بمدينة السلام سنة ثمان وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo octavo* (a. 168=784, 5 p. Chr.).

Quinque ◎ supra circulum duplicem Adv. ornant.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *Dei est. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة المهدى *Khalifa el-Mehdi.*

Supra .., infra خ est, et duplex circulus aream comprehendit. Ineditus.

116.

Cusus بالمحمدية سنة ثمان وستين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamento sunt tres .., qui cum tribus ○ alternant, supra circulum triplicem positi.

Ar. II similis est N:o 115; at supra apparet . et infra
• خ •

117.

Cusus بقصر سلام سنة ثمان وستين ومية *in Qasr-selam eodem anno.*

Quinque ◎ ad circulum duplicem ornamento sunt.

Ar. II omnino cum N:o 115 congruit. Rarissimus.

118.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo nono* (a. 169=785, 6 p. Chr.).

Sex ○ supra circulum duplicem ornamento sunt.

Ar. II = 115, at supra لله *Deo* et infra الحمد *laus* conspicitur.

Rarissimus, notabilis et ineditus est.

119.

Pars nummi diffracti, cusi بكرمان سنة تسع وستين ومية *in Kerman* (i. e. el-Sirdjan) *anno eodem.*

Quinque ○ supra circulum duplicem positi sunt.

Ar. II = N. 115, at simplex circulus hic aream ambit. Rarus et ineditus est.

120.

Cusus باذربيجان سنة تسع وستين ومية *in Adherbidjan* (i. e. Ardebil) *anno eodem* 169.

Quinque ○ supra circulum triplicem ornamento sunt.

Ar. II = N. 115. at supra • et infra بكر *Bekkar* (?) habet. Rarus et ineditus.

121.

Cusus بافريقية سنة تسع وستين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *eodem anno.*

Ornamenta sunt quinque ○ supra circulum duplicem crenatum.

Ar. II = N. 115 at supra بك et infra ب habet. Circulus aream cingens simplex est.

122.

Cusus بالعباسية سنة تسع وستين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Sex ○ supra circulum duplicem ornamento sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra ع et infra يزيد *Jezid* apparet. Circa aream circulus est punctatus.

El-Hadi

regnavit inde ab anno 169 usque ad annum 170 [786, 7].

123.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع وستين ومية *in Urbe salutis anno centesimo sexagesimo nono* (169=785, 6 p. Chr.).

Quinque ๐ supra circulum duplicem ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة الهادى *Khalifa el-Hadi.*

Supra بـ infra ع habet et circulus simplex aream ambit. Rarus.

124.

Cusus بالمحمدية سنة تسع وستين ومية *el-Muhammediae eodem anno* 169.

Ornatus est quinque ๐, supra triplicem circulum positis.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Infra ๐ et circulus punctatus aream cingit.

125.

Pars dimidia numi diffracti, cusi بكرمان سنة تسع وستين ومية *in Kerman* (i. e. el-Sirdjan) *anno eodem.* Ornamenta = N. 123

Ar. II: — مد رسول Muhammed *legatus*
— صلى الله est Dei. *Deus benedicat*
— ليه وسلم *ei et salutem præstet.*
— فة موسى Khali*fa Musa.*

Infra ع at supra nihil. Cfr. Fræhn, *Rec.* p. 7* N: 118. Rarissimus.

126.

Cusus بافريقية سنة تسع وستين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *anno eodem.* Ornamenta = N. 123.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة موسى *Khalifa Musa.*

Supra مكّ et infra ـ Circulus simplex aream circumdat. Rarus.

127.

Cusus بمدينة جى سنة سبعين ومية *in urbe Djej anno centesimo septuagesimo* (a. 170 = 786, 7 p. Chr.).

Quater ◎, supra circulum triplicem crenatum repetiti, ornamento sunt.

Ar. II similis N. 126; at circulus duplex est et crenatus. Litteræ ubique graciles. Rarus et ineditus.

128.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Ornatur quinque o supra circulum triplicem.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Duplex circulus aream circumdat. Solito crassior et litteræ pinguiores.

129.

Cusus بالهارونية سنة سبعين ومية *el-Haruniae* (i. e. oppidum in finibus Syriæ et Ciliciæ) *anno eodem.*

Tres o cum tribus oo alternantes supra circulum triplicem collocati sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
الخليفة الهادى *Khalifa el-Hadi.*
مما امر به هرون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Harun,*
بن امير المومنين *filius principis fidelium.*

Supra ابرهيم *Ibrahim*, infra جرير *Djerir* est et circulus simplex circa aream. Rarissimus est et notabilissimus.

130.

Cusus -بعين ومية anno *centesimo septuagesimo* — —

Quinque o supra duplicem circulum, ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله صلى الله *Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*

Supra . infra ب est. Circulus punctatus aream cingit.

150 [a].

Cusus بالعباسية سنة سبعين ومية *el-Abbasiae anno eodem* 170. Sex o supra circulum duplicem positis ornatur.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra ع infra يزيد *Jezid.* Circulus punctatus aream ambit.

Harun el-Reschid,

regnavit inde ab anno 170 usque ad annum 193 [808, 9].

151.

Pars numi diffracti, cusi بمدينة السلام سنة سبعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo septuagesimo.*

Ornamenta = N. 130.

Ar. II: — د رسول — Muhammed *legatus*
— صلى الله — est Dei. *Deus benedicat*
— وسلم — ei *et salutem præstet.*
— رشيد — Khalifa el-*Reschid.*

Duplex circulus circa aream. Rarus.

152.

Cusus بالمحمدية سنة سبعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta = N. 130.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Supra مبا infra رك i. e. conjunctim مبارك *benedictus*. Duplex circulus circa aream est. Rarus et notabilis.

133.

Cusus بالبصرة سنة سبعين ومـ *el-Basrae anno centesimo septuagesimo.*

Tres ∘, qui cum tribus ∘∘ alternant, ornamento sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei*

Duplex circulus aream ambit. Fieri potest, ut annus sit 270. Rarus et ineditus.

134.

Cusus بالعباسية سنة سبعين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Sex ∘ ad circulum duplicem ornamento sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra يح infra يزيد *Jezid*, et circulus punctatus circa aream.

135.

Cusus بافريقية سنة سبعين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *anno eodem.*

Ornamento sunt quinque ∘ supra circulum simplicem.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة هرون *Khalifa Harum.*

Supra عر et infra ـد conspicitur. Circulus simplex aream cingit. Notabilis.

136.

Dimidia Pars numi diffracti, cusi بالهارونية سنة سبعين ومية *el-Haruniae anno eodem.*

Tres ० cum tribus •• alternant in circulo triplici.

Ar. II — — —

عليه وسلم *ei et salutem præstet.*

الخليفة المرضى *Khalifa el-Merdhi* (i. e. Deo gratus).

Infra apparet • Supra ض punctum cernitur. Circulus simplex circa aream est. Rarissimus et ineditus.

137.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى وسبعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo septuagesimo primo* (a. 171=787, 8 p. Chr.).

Sex ◎ in triplici circulo crenato positis ornatur.

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

الله *Dei est.*

Infra ع Margo interior: مما امر به عبد الله هرون امير المومنين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Abd-Allah Harun Princeps fidelium.*

Margo exterior solita verba محمد رسول الله الخ habet.

Rarissimus, notabilissimus et ineditus.

138.

Cusus بالمحمدية سنة احدى وسبعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.* Quinque ०० in duplici circulo ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*

الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*

عليه وسلم *ei et salutem præstet.*

الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Supra مبا infra رك conjunctim legenda مبارك *benedictus.* Circulus duplex aream ambit. Rarus et notabilis.

139.

Cusus بالعباسية سنة احدى وسبعين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Ornamenta sunt sex ० in circulo duplici.

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra ع infra يزيد *Jezid.* Circulus punctatus circa aream est. Notabilis.

140.

Pars numi diffracti, cusi *ibidem anno eodem* 171.

Ar. II cum N. 139 congruit at supra exstat مر ع et inter versum secundum et tertium litteris minutis ورابكر (?)

Rarissimus et ineditus.

141.

Pars numi diffracti, cusi بسجستان سنة اثنـ - *in Sedjestan* (i. e. Zerendj) *anno* centesimo septuagesimo *secundo* (a. 172= 788, 9 p. Chr.).

Ornamento sunt ₒ et ₒₒ alternatim in circulo duplici positi.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله صلى الا - *Dei. Deus benedicat* ei et
سلم الخ - *salutem præstet. Khalifa* Harun.

Supra بر حزيم i. e. بن خزيم *ben-Khazim.* Rarissimus et notabilissimus. Cfr. Fraehn, *Recensio*, p. 11* N:o 136.

142.

Cusus بافريقية سنة اثنتين وسبعين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *anno eodem.*

Quinque ₒ in circulo simplici ornamento sunt.

Ar. II omnino cum N: 139. congruit.

143.

Cusus بالعباسية سنة ثنتين وسبعين ومية *el-Abbasiae anno eodem.*

Simplex circulus sine ornamentis ad marginem est. Ar. II = N. 142.

144.

Cusus بالعباسية سنة ثلث وسبعين ومية *el-Abbasiae anno centesimo septuagesimo tertio* (a. 173= 789, 90 p. Chr.).

Octo ₒ in circulo duplici ornatur. Ar. II = N. 142.

145.

Cusus بافريقية سنة ثلث وسبعين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *anno eodem* 173.

Sex ◎ in circulo triplici ornatur.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله *Dei.*
الخليفة هرون *Khalifa Harun*

Supra ع et infra روح *Rauh*. Circulus simplex circa aream est. Notabilis.

146.

Cusus بسجستان سنة اربع وسبعين ومية *in Sedjestan* (i. e. Zerendj) *anno centesimo septuagesimo quarto* (a. 174=790, 1 p. Chr.).

Ornatur quatuor ⊙ totidemque ∴, alternatim inter duos circulos, alterum simplicem, alterum duplicem, positis.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله صلى الله عليه و *Dei. Deus benedicat ei et*
سلم الخليفة هرون *salutem præstet. Khalifa Harun.*

Supra بن حزم i. e. بن خزيم *ben-Khazim* et infra ع ⊙ exstat. Simplex circulus est circa aream. Rarus et notabilis.

147.

Cusus بالمحمدية سنة خمس وسبعين ومية *el-Muhammediae anno centesimo septuagesimo quinto* (a. 175=791, 2 p. Chr.).

Tres •• cum tribus ₒ in circulo triplici alternant.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
صلى الله عليه *Deus benedicat ei* ·
وسلم الخليفة الرشيد *et salutem præstet. Khalifa el-Reschid.*

Infra يزيد *Jezid* exstat. Circulus circa aream simplex. Notabilis.

148.

Pars numi diffracti, cusi بافريقية سنة خمس وسبعين ومية *in*

Africa i. (e. el-Qairewan) *anno eodem* 175. Sex o in circulo duplici ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله بيده *Dei.* —
رحمه

Supra ع ع infra نصر *Nasr.*

149.

Cusus بمبركة سنة خمس وسبعين ومية *el-Mubarekae* (urbis africanæ) *anno eodem.*

Ornamenta eadem ac in præcedenti.

Ar. II محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Circulus punctatus aream ambit. Rarissimus et notabilissimus.

150.

Cusus بمدينة زرنج سنة ست وسبعين ومية *in urbe Zerendj anno centesimo septuagesimo sexto* (a. 176=792, 3 p. Chr.).

Quinque o supra duplicem circulum crenatum ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
صلى الله عليه وسلم *Deus ei benedicat et salutem præstet.*
الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Infra vestigia litterarum. Circulus crenatus circa aream. Ineditus est et rarissimus.

151.

Cusus بمدينة زرنج سنة سبع وسبعين ومية *in urbe Zerendj anno centesimo septuagesimo septimo* (a. 177=793, 4 p. Chr.).

Quinque o supra circulum triplicem punctatum positis, ornatur.

Ar. II = N. 150, at hic infra جعفر *Djafar* legitur. Rarus.

152.

Pars numi diffracti, cusi بافريقية سنة سبع وسبعين ومية *in*

Africa (i. e. el-Qairewan) *eodem anno.*

Sex o supra circulum duplicem crenatum ornamento sunt.

A II = N. 148, infra نصر *Nasr.*

153.

Cusus *ibidem eodem anno* 177.

Cum N: 152 congruit, at in Ar. II suprema ح conspicitur et infima الفضل *el-Fadhl.* Ineditus.

154.

Cusus ان وسبعين ومية - anno *centesimo septuagesimo octavo* (a. 178=794, 5 p. Chr.).

Sex o in circulo duplici sunt ornamento.

Ar. II: ـد — Muhammed
سـول — *legatus*
لة — est *Dei.*

Infra كلكر (?) Duplex circulus aream ambit. Ineditus est et notabilis.

155.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع وسبعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo septuagesimo nono* (a. 179=795, 6 p. Chr.).

Tres ◎ in triplici circulo crenato ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin.*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar* cernitur et circulus simplex aream circumdat.

156.

Cusus بالرقة سنة تسع وسبعين ومية *el-Raqqae anno eodem.*

Tribus o, qui cum tribus ∞ in duplici circulo crenato alternant, ornatus est.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسـول *legatus*

السلطة *est Dei.*

Supra: لله طاهر *Deo! Tahir*, infra: عمرو بن يحيى *Amru ben-Jahja.*

Circulus duplex crenatus aream cingit. Rarus est et ineditus.

157.

Cusus بقصر سلام سنة تسع وسبعين ومية *in Quasr-Selam anno eodem* 179.

Infra in Ar. I ✢ Ornatur tribus ◎ cum tribus ∞ in duplici circulo alternatim positis.

Ar. II omnino cum præcedenti congruit. Rarissimus est et notabilissimus. Nondum editus.

158.

Cusus بمدينة زرنج سنة تسع وسبعين ومية *in urbe Zerendj anno eodem.*

Ornamento quinque ∘ in triplici circulo sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus Dei est.*

صلى الله عليه وسلم *Deus benedicat ei et salutem præstet.*

الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Supra جعفر *Djafar*, infra ج et circulus simplex circa aream. Ineditus et notabilis.

159.

Cusus بافريقية سنة تسع وسبعين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *anno eodem.*

Sex ∘ in circulo punctato, ornatui sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

السلطة *Dei est.*

Supra هرثمة *Harthema*, infra ج ج est et duplex circulus aream ambit. Rarus.

160.

Pars nummi diffracti, cusi *ibidem anno eodem.* Ornamenta = N. 157.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei.*

161.

Cusus بمدينة السلام سنة ثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo* (a. 180=796, 7 p. Chr.).

Quinque ∘ in circulo duplici ornatui sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*

محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar* est et duplex circulus aream circumdat. Notabilis.

162.

Cusus بالمحمدية سنة ثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Sex ∘ in circulo duplici crenato positis, ornatur.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامير محمد *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps Muhammed,*

ولي عهد المسلمين *præfectus foederi fidelium.*

Supra سلام infra محبوب (?) Circulus simplex punctatus circa aream est. Ineditus.

163.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Ornamento sunt tres ∘∘, qui cum tribus ∘ in triplici circulo crenato alternant.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus est*

الله مما امر به الامير الامين *Dei. Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*

محمد بن امير المومنين في *Muhammed, filius Principis fidelium, sub*

ولاية محمد بن يحيى *præfectura Muhammedis, filii Jahjæ.*

Supra و infra جعفر *Djafar* et simplex circulus aream circumdat. Rarissimus et notabilissimus.

164.

Cusus *ibidem eodem anno* 180.

Quatuor ∞ in circulo triplici crenato, ornatui sunt

Ar II = N. 161 at supra est و Notabilis.

165.

Cusus بمدينة زرنج سنة ثمنين ومية *in urbe Zerendj anno eodem.*

Quatuor oo, in circulo duplici positis, ornatur.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*

صلى الله عليه وسلم *Deus benedicat ei et salutem præstet.*

الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Supra • infra جعفر *Djafar* et simplex circulus aream cingit.

166.

Cusus بمعدن الشاش سنة ثمنين ومية *in Ma'den el-Schasch anno eodem.*

Quinque o inter duos circulos ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامير المامون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun*

عبد الله بن امير المومنين ولى *Abd-Allah, filius Principis fidelium, socius*

ولى عهد المسلمين *præfecti foederi fidelium.*

Supra على *Ali* infra نصر *Nasr.*

Rarissimus et ineditus, qui primus ex hujus loci moneta prodiit.

167.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo primo* (a. 181 = 797, 8 p. Chr.).

Quinque o in circulo duplici ornamento sunt.

Ar. II omnino cum N: 161 congruit. Notabilis.

168.

Cusus بالمحمدية سنة احدى وثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem* 181.

Quatuor oo super triplicem circulum positis, ornatus est.

Ar. II N:o 161 consimilis, nisi quod hic supra و exstat. Notabilis.

169.

Cusus بمدينة زرنج سنة احدى وثمنين ومية *in urbe Zerendj anno eodem.*

Ornatur tribus oo, ad circulum triplicem cum tribus o alternantibus.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*
صلى الله عليه وسلم *Deus benedicat ei et salutem præstet.*
الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Infra يزيد *Jezid*, cui ح suppositum est, supra على *Ali.* Circulus simplex aream cingit. Notabilis.

170.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Cum præcedenti congruit, præterquam quod in Ar. II infima جعفر *Djafar* legitur. Notabilis et ineditus.

171.

Cusus بمدينة بلخ سنة احدى وثمنين ومية *in urbe Balkh anno eodem.*

Ornamenta = N. 169.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus Dei est.*
مما امر به الامير المامون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun*
عبد الله بن امير المومنين ولى *Abd-Allah, filius Principis fidelium socius*
ولى عهد المسلمين *præfecti foederi fidelium.*

Supra و infra ج Circulus simplex circa aream. Rarissimus et ineditus.

172.

Cusus بافريقية سنة احدى وثمنين ومية *in Africa* (i. e. el-Qairewan) *eodem anno* 181.

Quinque ₒ in circulo simplici ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله بسـمـد *Dei est* —
رحـسـد —

Supra محمد *Muhammed* infra العكي *el-Akki* exstat et circulus simplex aream ambit. Rarus et notabilis.

173.

Cusus بمدينة السلام سنة اثنتين وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo secundo* (a. 182=798, 9 p. Chr.).

Quinque ₒ ad circulum duplicem positi, ornamento sunt.

In Ar. I supr. • exstat.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*
مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar* et duplex circulus aream cingit.

174.

Cusus بالمحمدية سنة اثنتين وثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Tres ₒₒₒ, cum tribus ₒ alternantes ad triplicem circulum, ornamento sunt.

Ar. II omnino cum præcedenti congruit; at circulus triplex est.

175.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Ornamenta sunt quinque ₒ in triplici circulo positi. Ce-

teroquin N: 174 consimilis, at in Ar. II suprema est و et infra جعفر *Djafar* punctum • cernitur. Notabilis.

176.

Cusus *ibidem eodem anno* 182.

Ornamenta quinque o in triplici circulo sunt. In Ar. II suprema ل • ا est et ea duplici circulo cingitur.

177.

Cusus بمدينة بلخ سنة اثنتين وثمنين ومية *in urbe Balkh eodem anno.*

Ornatur tribus O, alternatim cum tribus ooo supra circulum duplicem positis.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium,*
ولى عهد المسلمين *præfectus foederi fidelium.*

Infra ح et circulus circa aream simplex est. Rarus et ineditus.

178.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Tres o, qui tres oo supra circulum triplicem alternatim excipiunt, ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير ولى *Ex iis, quos* (cudi) *jussit præfectus*
عهد المسلمين الامين *foederi fidelium el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Supra و infra ح et circulus simplex circa aream est. Rarus, notabilis et ineditus.

179.

Cusus بمدينة السلام سنة ثلث وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo tertio* (a. 183=799, 800 p. Chr.).

Quinque o in circulo duplici ornatui sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*

محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar*, et circulus duplex aream circumdat.

180.

Cusus بالمحمدية سنة ثلث وثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem* 183.

Sex o in duplici circulo ornamento sunt. (Adest exemplar, in quo tres oo cum tribus o in duplici circulo circa Ar. II sunt.)

Ar. II eadem atque in N: 179, at circulus simplex est.

181.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Tres o, qui tribus ◎ supra circulum duplicem crenatum alternatim succedunt, ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus est*

الله صلى الله عليه وسلم *Dei. Deus benedicat ei et salutem præstet.*

مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*

محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Supra س infra جعفر *Djafar*. Circulus simplex aream ambit. Notabilis.

182.

Dimidia pars numi diffracti, cusi بالرافقة سنة ثلث وثمنين ومية *el-Rafiqae anno eodem.*

Ornatur sex o in circulo duplici positis.

Ar. II: — محمد *Muhammed* —

— مما امر به الامير *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps* —

— عبد الله بن امير *Abd-Allah, filius Principis* —

Infra جعفر *Djafar*, et circulus simplex circa aream. Rarissimus, ineditus.

183.

Pars numi diffracti, cusi ـ بمدينة زرنج سنة ثلا in urbe Zerendj eodem anno 183.

Ex ornamentis ० in triplici circulo superest.

Ar. II: ـ محمد Muhammed —

ـ صلى الله ع Deus benedicat ei —

ـ الخليفة الر Khalifa el-Re —

Supra vestigia sigli sunt. Simplex circulus aream ambit. Fieri potest, ut anno 173 cusus sit. Rarus et ineditus.

184.

Cusus — بافريقية سنة in Africa (i. e. el-Qairewan) anno -

Ornamento sunt sex ० in circulo simplici.

Ar. II: محمد Muhammed

رسول legatus

الله Dei est.

Supra هرثمة Harthema, infra ० et duplex circulus aream ambit. Fortasse rectius ad annum 178 s. 179 refertur.

185.

Pars numi fracti, cusi ـة ثلث وثمنين ومية anno centesimo octogesimo tertio.

Ar. II: ـ مد رسول الله - - med legatus est Dei.

ـ الله عليه و ـ Deus benedicat ei et -

Supra على Ali et simplex circulus aream cingit. Fortasse ex urbis Zerendj moneta prodiit. Cfr. Fræhn, Rec. p. 24* N. 196. Tum idem est ac 183.

186.

Cusus بالمحمدية سنة اربع وثمنين ومية el-Muhammediae anno centesimo octogesimo quarto (a. 184 = 800, 1 p. Chr.).

Tres ०००, qui tribus ० in triplici circulo crenato succedunt, ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول Muhammed legatus est

الله صلى الله عليه وسلم Dei. Deus benedicat ei et salutem præstet.

مما امر به الامير الامين *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin* محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Supra س infra جعفر *Djafar*, et duplex circulus aream circumdat.

187.

Cusus بمدينة السلام سنة خمس وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo quinto* (a. 185=801, 2 p. Chr.).

Tres ooo, cum tribus o alternatim in circulo duplici positi, ornamento sunt. (Adest pars numi fracti, quæ quatuor aut quinque o in circulo duplici crenato habet.)

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus Dei est.*

مما امر به الامير الامين *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*

محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar*. Duplex circulus aream cingit.

188.

Cusus بالمحمدية سنة خمس وثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta eadem atque in N. 187.

Ar. II cum N. 186 congruit, at supra est و et simplex circulus circa aream. Notabilis et ineditus.

189.

Cusus -ة زرنج سنة خمس وثمنين و- in urbe *Zerendj eodem anno.*

Ornamento plures o in triplici circulo sunt.

Ar. II suprema على *Ali* modo habet et circulus simplex aream ambit. Rarus et ineditus.

190.

Cusus بمدينة مرو سنة خمس وثمنين ومية *in urbe Merw eodem anno.*

Tres o, qui tribus ◎ ad triplicem circulum alternatim succedunt, ornamento sunt. In Ar. I infima ∴ adest.

Ar. II cum N. 186 congruit; at supra et infra (?) علی *Ali* exstat, et circulus simplex eam ambit. Notabilis.

191.

Cusus بمدینة بلخ سنة خمس وثمنین ومیة *in urbe Balkh anno eodem* 185.

Ornamento sunt tres ∞ cum tribus ° ad triplicem circulum alternantes.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامیر ولی *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps, præfectus*
عهد المسلمین الامین *foederi fidelium, el-Amin*
محمد بن امیر المومنین *Muhammed, filius Principis fidelium.*
Supra و ه infra ع et simplex circulus aream ambit. Rarus, notabilis et ineditus.

192.

Cusus *ibidem eodem anno.* Ornamenta = N. 191.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامیر الامین *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*
عبد الله بن امیر المومنین ولی *Abd-Allah, filius Principis fidelium, socius*
ولی عهد المسلمین *præfecti foederi fidelium.*
Supra و infra ع

193.

Pars numi fracti, cusi *ibidem anno eodem.*

Plane N. 192 consimilis, at caret و in Ar. II suprema.

194.

Cusus بمصر سنة خمس وثمنین ومیة *in Misr* (i. e. Fostat Aegypti) *anno eodem.* Nomen urbis fere deletum.

Ornatus sex o in duplici circulo crenato positis.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*

الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*

Supra لكسر (?) infra حك (?) Margo deletus. Notabilissimus, rarus et ineditus.

195.

Cusus بمدينة السلام سنة ست وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo sexto* (a. 186=802 p. Chr.).

Ornamenta: tres o cum tribus ooo alternatim supra circulum triplicem positi.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير الامين *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar*, et simplex circulus aream ambit.

196.

Cusus بالمحمدية سنة ست وثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Quinque ○ ad duplicem circulum punctatum ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله عليه وسلم *est Dei. Deus benedicat ei et salutem præstet.*
مما امر به الامير الامين *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin.*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Infra جعفر *Djafar.* Circulus est duplex circa aream. Notabilis.

197.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Tres oo, qui tribus ⊙ in circulo triplici alternatim succedunt, ornamento sunt.

Ar. II = N. 195, at supra est سلم *integer* sc. *numus*, et infra جعفر *Djafar.* Circulus areæ simplex est. Rarissimus et notabilis.

198.

Cusus بمدينة بلخ سنة ست وثمنين ومية *in urbe Balkh anno eodem.*

Tres ₒ, qui tribus •• supra circulum duplicem alternatim succedunt, ornatui sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*

مما امر به الامير المامون *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun*

عبد الله بن امير المومنين ولى *Abd-Allah, filius Principis fidelium, socius*

ولى عهد المسلمين *præfecti foederi fidelium.*

Supra و majus, infra ع Circulus ut in N. 197. Notabilis.

199.

Cusus بمدينة السلام سنة سبع وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo septimo* (a. 187=802, 3 p. Chr.).

Sex ₒₒ ad triplicem circulum ornamento sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

الله *est Dei.*

Circulus duplex crenatus circa aream est.

200.

Cusus بمدينة بلخ سنة سبع وثمنين ومية *in urbe Balkh anno eodem.*

Ornamento sunt tres ₒ, qui cum tribus ∞ ad duplicem circulum alternant. Ar. II ut in N. 198. Notabilis.

201.

Cusus بدمشق سنة سبع وثمنين ومية *Damasci anno eodem.*

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

الله *est Dei.*

Infra ع ع Circulus areæ duplex punctatus. Ineditus.

202.

Cusus بارّان سنة سبع وثمنين ومئة *in Arran* (i. e. Berdaæ) *anno eodem* 187.

Quinque o in circulo duplici ornamento sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله مما امر به الخليفة *Dei. Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Khalifa*
هرون امير المومنين *Harun, Princeps fidelium.*

Supra محمد *Muhammed*, infra بن يزيد *ben-Jezid.* Circulus areæ simplex. Rarus et ineditus.

203.

Cusus بمدينة السلام سنة ثمان وثمنين ومئة *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo actavo* (a. 188 = 803, 4 p. Chr.).

Quinque o ad circulum triplicem ornatui sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Infra ر est. Circulus areæ duplex. Frequentissimus.

204.

Cusus *ibidem anno eodem.* Ornamenta = N. 200. Ar. II ut in N. 203, at infra ح adest.

205.

Cusus بالمحمدية سنة ثمان وثمنين ومئة *el-Muhammediae anno eodem.*

Omnino cum N. 203 congruit, nisi quod circulus areæ II crenatus et simplex est.

206.

Cusus بمدينة بلخ سنة ثمان وثمنين ومئة *in urbe Balkh anno eodem.*

Tres ooo cum tribus oo ad circulum duplicem alternantes, ornatui sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامير المامون *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun*
عبد الله بن امير المومنين ولى *Abd-Allah, filius Principis fidelium, socius*
ولى عهد المسلمين *præfecti foederi fidelium.*
Supra و majus, infra ع Circulus areæ simplex.

207.

Cusus بالرافقة سنة ثمان وثمنين ومية *el-Rafiqae anno eodem* 188.
Quinque ∘ supra triplicem circulum ornatui sunt.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Infra • est et circulus circa aream duplex. Rarissimus et ineditus.

208.

Pars numi fracti, cusi ثمان وثمنين ومية — anno *centesimo octogesimo* octavo. Ornamenta et Ar. II ut in N. 207, at infra ع د (ع) est. Litteræ solito crassiores. Notabilis, ineditus.

209.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع وثمنين ومية *in Urbe salutis anno centesimo octogesimo nono* (a. 189=804, 5 p. Chr.).

Tres ∘∘, qui tribus ◎ in circulo triplici alternatim succedunt, ornamento sunt.

Ar. II omnino ut in N. 207.

210.

Cusus بالمحمدية سنة تسع وثمنين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta et Ar. II ut in N. 207, at circulus areæ simplex est et crenatus.

211.

Cusus بمدينة بلخ سنة تسع وثمنين ومية *in urbe Balkh anno eodem.*

Ornamenta: quinque (?) o in circulo simplici.

Ar. II ut in N. 206, præterquam quod supra على *Ali* et infra ء est. Notabilis.

212.

Cusus بمعدن الشاش سنة تسع وثمنين ومية *in Ma'den el-Schasch* (i. e. fodina Schaschensi) *eodem anno* 189.

Ornamenta: quinque ○ ad duplicem circulum.

Ar. II ut in N. 211 et supra على *Ali* infra vero النصر habet. Rarissimus, notabilis et ineditus.

213.

Cusus بمدينة السلام سنة تسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo* (a. 190 = 805, 6 p. Chr.).

Ornamenta: quinquies oo ad duplicem circulum

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei.*

Infra ء adest. Circulus simplex circa aream est.

214.

Cusus *ibidem eodem anno*, litteris solito crassioribus et sine ornamentis.

Ar. II ut in præcedenti, at infra legitur: ذو الوزيرتين *possessor utriusque weziratus.* Circulus duplex aream ambit.

215.

Cusus بالمحمدية سنة تسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta: ter oo et ter o alternatim ad circulum triplicem.

Ar. II ut in N. 213, at circulus duplex.

216.

Cusus بمدينة ابرشهر سنة تسعين ومية *in urbe Aberschehr*

anno eodem 190.

Ornamenta eadem atque in N. 215 sunt.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*

الله مما امر به الامير *est Dei. Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps*

المامون بن امير المومنين *el-Mamun, filius Principis fidelium.*

Infra: الفضل *el-Fadhl,* et areæ circulus duplex. Rarissimus, ineditus.

217.

Cusus بطبرستان سنة تسعين ومية *in Taberistan* (i. e. Amol) *anno eodem.*

Ornamenta et Ar. II omnino ut in N. 215. Rarus.

218.

Cusus بمعدن الشاش سنة تسعين ومية *in Ma'den el-Schasch* (i. e. fodina Schaschensi) *eodem anno.*

Ornamenta et Ar. II plane ut in N. 212. Notabilis.

219.

Cusus بمدينة الشاش سنة تسعين ومية *in urbe el-Schasch anno eodem.*

Ornamenta: quinquies o in circulo simplici.

Ar. II: ـ مد رسول Muhammed *legatus*
ـ ه صلى الله est Dei. *Deus benedicat*
عليه وسلم *ei* et *salutem præstet.*
ـ ليفة المرضى Kha*lifa Deo gratus*

Infra vestigia sigli v. a. e. adsunt. Rarus et ineditus primusque, qui ex el-Schaschi moneta prodiit.

220.

Cusus بمدينة سمرقند سنة تسعين ومية *in urbe Samerqand anno eodem.*

Ornamenta: ter ooo et ter o alternatim ad circulum duplicem.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Circulus triplex circa aream est. Rarus et ineditus.

221.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo primo* (a. 191 = 806, 7 p. Chr.).

Ornamenta: ter oo et ter o alternatim ad duplicem circulum positi.

Ar. II ut in N. 215.

222.

Cusus بالمحمدية سنة احدى وتسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Cum præcedenti omnino congruit.

223.

Cusus *ibidem anno eodem.*

Ornamenta: quater oo ad circulum duplicem.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed legatus*
الله صلى الله *est Dei. Deus benedicat*
عليه وسلم *ei et salutem præstet.*
الخليفة الرشيد *Khalifa el-Reschid.*

Supra: مبا, infra: رك, quæ conjunctim legenda sunt: مبارك *benedictus.* Duplex circulus aream ambit. Ineditus et notabilis.

224.

Cusus ـ ان سنة احدى وتسعين ومية - in Taberis*tan* (i. e. Amol) *anno eodem.*

Ornamenta et Ar. II ut in N. 217. Rarus et ineditus.

225.

Cusus بالرافقة سنة احدى وتسعين ومية *el-Rafiqae anno eodem.*

Ornamenta: quinquies O ad duplicem circulum crenatum.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra • et infra ◡ conspicitur. Circulus duplex et crenatus aream circumdat. Rarissimus et ineditus.

226.

Cusus بمدينة السلام سنة اثنتين وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo secundo* (a. 192 = 807, 8 p. Chr.).

Ornamenta: quater oo in duplici circulo.

Ar. II ut in N. 225, nisi quod infra est ه et circulus areæ simplex.

227.

Cusus *ibidem eodem anno.*

In infima Ar. I ح adest.

Ar. II ut in N. 226, nisi quod circulus hic punctatus est.

228.

Cusus بالمحمدية سنة اثنتين وتسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta: sex o in circulo duplici.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Infra ه est et circulus areæ duplex. Notabilis, ineditus.

229.

Cusus بطبرستان سنة اثنتين وتسعين ومية *in Taberistan* (i. e. Amol) *anno eodem.*

Ornamenta: ter oo et ter o alternatim supra circulum triplicem.

Ar. II ut in proxime præcedenti. Rarus et ineditus.

230.

Cusus بالرافقة سنة اثنتين وتسعين ومية *el-Rafiqae anno eodem.*

Præterea cum N. 225 omnino congruit. Rarus et ineditus.

231.

Cusus بمدينة بلخ سنة اثنتين وتسعين ومية *in urbe Balkh anno eodem* 192.

Ornamenta: quinquies o in circulo duplici crenato.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra: بلخ *Balkh* (in quo punctum sub ب observandum), infra autem نصر بن سعد *Nasr ben-Sa'd* legitur. Circulus crenatus circa aream est. Rarissimus, notabilis et ineditus.

232.

Cusus بمدينة السلام سنة ثلث وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo tertio* (a. 193=808, 9 p. Chr.).

Ornamenta: ter o et ter oo alternatim in circulo duplici.

Ar. II ut in N. 228.

233.

Pars numi fracti, cusi ـ مرقند سنة ثلث وتسعين ومية in *Samerqand anno eodem.*

Ornamenta eadem atque in N. 232. In Ar. I infima المشرق *Oriens.*

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.*

Notabilis, rarus et ineditus.

234.

Cusus بالرافقة سنة ثلث وتسعين ومية *el-Rafiqae anno eodem.*

Ornamenta: quinquies ◎ in circulo duplici.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Circa aream circulus duplex et crenatus est. Rarus et ineditus.

235.

Cusus بمدينة بلخ سنة ثلث وتسعين ومية *in urbe Balkh anno eodem* 193.

Ornamenta: ter ∘∘ et ter ∘ in circulo triplici alternatim collocati.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei.*

Supra ح infra vero د adest, et duplex circulus circa aream. Rarus et ineditus.

236.

Cusus بمدينة نيسابور سنة ثلث وتسعين ومية *in urbe Nisabur anno eodem.*

Ornamenta: sex ◎ in duplici circulo.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*
مما امر به الامير المامون *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun,*
ولى عهد المسلمين *præfectus foederi fidelium,*
عبد الله بن امير المومنين *Abd-Allah, filius Principis fidelium.*

Supra: لله *Deo!* infra: عثمن *Othman.* Area circulo circumdatur punctato. Litteræ solito sunt minores. Notabilis, ineditus.

237.

Pars numi fracti, cusi ـ سعين ومية anno *centesimo nonagesimo* - .

Ornamenta: sex (?) ⊙ in circulo duplici.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra: خلد et circulus punctatus aream ambit. Numis africanis valde similis est.

El-Amin,

regnavit inde ab anno 193 usque ad annum 198 [813, 4].

238.

Cusus بمدينة السلام سنة ثلث وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo tertio.*

Ornamenta: ter oo et ter o in circulo duplici alternantia.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei.*

Supra: ربي الله *dominus meus Deus est.* Circulus crenatus aream ambit.

239.

Cusus بمدينة السلام سنة اربع وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo quarto* (a. 194 = 809, 10 p. Chr.).

Ornamenta: ter ooo in circulo duplici.

Ar. II ut in N. 238.

240.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Ornamenta: ter ◎ et ter o alternatim in triplici circulo.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير الامين *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Supra: ربي الله *dominus meus est Deus.* Infra: العباس *el-Abbas.* Circulus crenatus aream ambit. Rarus et ineditus.

241.

Cusus بالمحمدية سنة اربع وتسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta eadem atque in N. 238 sunt.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus Dei est.*
مما امر به محمد *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Muhammed,*

بن امير المومنين *filius Principis fidelium.*
Supra: سلام, infra: كرك est. Notabilis, ineditus.

242.

Cusus بمدينة بخارا سنة اربع وتسعين ومية *in urbe Bukhara anno eodem* 194.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير الامام المامون *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps Imamus el-Mamun,*
ولى عهد المسلمين *præfectus foederi muslimorum,*
عبد الله بن امير المومنين *Abd-Allah, filius Principis fidelium.*
Supra: لله *Deo!* infra: الفضل legitur. *el-Fahdl.* Notabilis.

243.

Cusus بمدينة زرنج سنة اربع وتسعين ومية *in urbe Zerendj anno eodem.*

Ornamenta: sexies o supra circulum duplicem punctatum.
Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير المامون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun,*
ولى عهد المسلمين *præfectus foederi muslimorum,*
عبد الله بن امير المومنين *Abd-Allah, filius Principis fidelium.*
Supra: لله *Deo!* Circa aream circulus est punctatus. Notabilis et ineditus.

244.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Cum præcedenti congruit, præterquam quod in Ar. II infima est الفضل *el-Fadhl.* Notabilis et ineditus.

245.

Pars numi fracti, cusi بمدينة نيسابور سنة اربع وتسعين ومية *in urbe Nisabur anno. eodem.*

Ornamenta et externa species ut in N. 236.
Ar. II: ـد رسول الله Muhammed *est legatus Dei.*

المامون مر به الامير - Ex *iis*, *quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun,*
ولى عهد المسلمين - *præfectus foederi muslimorum,*
امير المومنين — filius *Principis fidelium.*

Supra: لله *Deo!* Circulus punctatus aream ambit. Rarus, notabilis et ineditus.

246.

Cusus بمدينة سمرقند سنة اربع وتسعين ومية *in urbe Samerqand anno eodem* 194.

Ornamenta: sexies ⊙ ad duplicem circulum punctatum.

Ar. II plane ut in N. 242. Notabilissimus.

247.

Cusus بمدينة السلام سنة خمس وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo quinto* (a. 195 = 810, 1 p. Chr.).

Ornamenta: quinquies ∞ ad circulum triplicem.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به عبد الله الامين *Ex iis*, *quos* (cudi) *jussit servus Dei el-Amin*
محمد بن امير المومنين *Muhammed, filius Principis fidelium.*

Supra: ربى الله *Dominus meus est Deus*, infra: العباس *el-Abbas.* Notabilis.

248.

Cusus بالمحمدية سنة خمس وتسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamento sunt ter ∘ cum ter ∘∘ alternatim ad circulum duplicem.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*
مما امر به الامير — *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps* -,
ولى عهد المسلمين *præfectus foederi muslimorum,*
عبد الله بن امير المومنين *Abd-Allah, filius Principis fidelium.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl.* Notabilis.

249.

Pars numi fracti, cusi بمعدن بخينس سنة - *in Ma'den Bakhines anno eodem* 195.

Ornamenta: plura oo in duplici circulo.

Ar. II: محمد - *Muhammed* —

الله مما امر به الخ - *Est ex iis, quos* (cudi) *jussit Khalifa*

محمد امير المو - *Muhammed, Princeps fidelium.* ,

Infra عبيد *Obeid.* Cfr. Fræhn, *Recens.* p. 6** N. 267, qui idem est. Rarus et notabilis.

250.

Cusus بمدينة سمرقند سنة خمس وتسعين ومية *in urbe Samerqand anno eodem.*

Ornamenta: sexies o ad circulum duplicem positi.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامام المامون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Imamus el-Mamun*,

ولي عهد المسلمين *præfectus foederi muslimorum*,

عبد الله بن امير المومنين *Abd-Allah. filius Principis fidelium.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl.* Circulus triplex circa aream est. Notabilissimus, ineditus.

251.

Cusus بمدينة السلام سنة ست وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo sexto* (a. 196 = 811, 2 p. Chr.).

Ornamenta: quinquies o in duplici circulo punctato.

Ar. II ut in N. 246.

252.

Cusus بالمحمدية سنة ست وتسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta: quinquies o ad circulum duplicem.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque im-*

perii. Circulus punctatus aream circumdat. Notabilis.

253.

Cusus بمعدن باخينس سنة ست وتسعين ومية *in Ma'den Bakhines anno eodem* 196.

Ornamenta: sexies o ad duplicem circulum.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*
الله مما امر به الامير *Dei. Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps*
محمد امير المومنين *Muhammed, Princeps fidelium.*

Supra: عبد الملك *Abd-el-Melik,* infra: بن الجحاف *ben-el-Djehaf.* Notabilis et rarissimus.

El-Mamun,

regnavit inde ab anno 198 usque ad annum 218 [833].

254.

Cusus بهراة سنة اربع وتسعين ومية *in Herat anno centesimo nonagesimo quarto.*

Ornamenta: sexies ◎ in circulo duplici.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*
مما امر به الامير المامون *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps el-Mamun,*
ولى عهد المسلمين *præfectus foederi muslimorum,*
عبد الله بن امير المومنين *Abd-Allah, filius Principis fidelium.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl.* Circulus duplex punctatus circa aream. Notabilis et ineditus.

255.

Cusus بمدينة بلخ سنة اربع وتسعين ومية *in urbe Balkh anno eodem.*

Ornamenta: sexies o ad duplicem circulum.

Ar. II ut in præcedenti; at circulus duplex est circa aream.

256.

Pars nummi fracti, cusi *ibidem eodem anno.*

Ornamenta: ० et ००० alternatim ad circul. duplicem crenatum.

Ar. II: - محـ *Mu*hammed -

- مما امر به الا *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Princeps* -

- عبد الله بن امير *Abd-Allah*, *filius Principis* -

- محمد بن امير المو *Muhammedis, filii Principis fidelium.*

Notabilis.

257.

Cusus *ibidem eodem anno* 194.

Præcedenti ornamentis similis.

Ar. II ut in N. 255, at in infima habet الفضل *el-Fadhl*. Notabilis.

258.

Cusus بمدينة هراة سنة خمس وتسعين ومية *in urbe Herat anno centesimo nonagesimo quinto.*

Ornamenta: sexies ० ad duplicem circulum punctatum.

Ar. II: محمد رسول *Muhammed est legatus*

الله مما امر به *Dei. Est ex iis, quos* (cudi) *jussit*

الامام المامون *Imamus el-Mamun.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl*, in quo punctum supra ض cernitur. Circulus duplex punctatus circa aream. Notabilis.

259.

Cusus بمدينة بلخ سنة خمس وتسعين ومية *in urbe Balkh anno eodem.*

Ornamenta eadem atque in N. 256.

Ar. II ut in præcedenti, at puncto in الفضل caret et circulum triplicem circa aream habet. Ineditus.

260.

Cusus بمدينة نيسابور سنة خمس وتسعين ومية *in urbe Nisabur anno eodem.*

Cetera cum N. 259 congruunt, at circulus aream II ambiens simplex est. Notabilis et ineditus.

261.

Cusus بمدينة سمرقند سنة خمس وتسعين ومية *in urbe Sa-*

merqand anno eodem.

Ornamenta: ter ० cum ter ००० alternatim in duplici circulo punctato.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl.* Ineditus.

262.

Pars numi fracti, cusi - ـكن سنة خمـ - in Ma'*den* anno centesimo nonagesimo *quinto.*

Supra nomen urbis in margine exteriore, مولى exstat. In Ar. I infima ✻ adest et plura ⊙ in duplici circulo ornamento sunt.

Ar. II: - - - - - - -
- ه مما أه - *Dei. Ex iis, quos* (cudi) ju*ssit*
- عبد ال - *Abd-Al*lah —
- امام المو - *Imamus fideli*um.
- الفضـ - *El-Fadhl.*

Numus rarissimus, notabilissimus et ineditus. Cfr. Fræhn, *Recens.* p. 9** N. 278.

263.

Cusus بمدينة اصبهان سنة ست وتسعين ومية *in urbe Isbahan anno centesimo nonagesimo sexto* (a. 196 = 811, 2 p. Chr.).

Ornamenta: ter ० et ter ⊙ alternatim ad circulum duplicem punctatum collocati.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei.*

Supra: لله *Deo!* infra: هرثمة *Harthema.* Circulus punctatus aream cingit. Punctum in ب et in ضرب et in اصبهان conspicitur (adest exemplar, quod illo caret). Antiquissimus numus, qui ex moneta hujus urbis prodiit. Notabilis.

264.

Cusus بمدينة سمرقند سنة ست وتسعين ومية *in urbe Samerqand anno eodem* 196.

Ornamenta: ter ∘ et ter ∘∘∘ alternatim ad duplicem circulum. In Ar. I suprema ح, in infima ص adest.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

مما امر به الامام *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Imamus*

المامون امير المومنين *el-Mamun, Princeps fidelium.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl.* Duplex circulus circa aream est. Notabilis, ineditus.

265.

Cusus بمدينة زرنج سنة ست وتسعين ومية *in urbe Zerendj eodem anno.*

Ornamenta: sexies ⊙ ad duplicem circulum punctatum. In infima Ar. I الفرج

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

الله *est Dei.*

Supra: لله *Deo!* infra: الفضل *el-Fadhl.* Duplex circulus punctatus aream ambit. Supra vocem ارسله in marginis inscriptione punctum • apparet. Notabilis, ineditus.

266.

Cusus بمدينة سمرقند سنة سبع وتسعين ومية *in urbe Samerqand anno centesimo nonagesimo septimo* (a. 197=812,3 p. Chr.).

Ornamenta: sexies ∘ ad circulum duplicem.

Ar. II omnino ut in N. 264. Notabilis.

267.

Cusus *ibidem eodem anno,* cum N. 266 omnino congruit, nisi quod hic in Ar. II suprema est: لله وبه *Deo! et cum eodem.*

268.

Cusus بمدينة اصبهان سنة سبع وتسعين ومية *in urbe Isba-*

han anno eodem.

Omnino cum N. 263 congruit, at sub هرثمة in Ar. II exstat ه Notabilis, ineditus.

269.

Cusus *ibidem eodem anno* et præcedenti similis, nisi quod puncta diacritica litteræ ة in هرثمة hic apparent. Notabilis.

270.

Pars numi fracti, cusi بمدينة نيسابور سنة سبع وتسعين ومية *in urbe Nisabur anno eodem.*

Ornamenta: ter oo et ter ooo alternatim ad duplicem circulum punctatum. Supra urbis nomen ad marginem legitur عبد الله *Abd-Allah.*

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *est Dei.*

Supra: لله *Deo!* Circulus punctatus aream ambit. Notabilis, ineditus.

271.

Cusus بمدينة السلام سنة ثمان وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo octavo* (a. 198 = 813, 4 p. Chr.).

Ornamenta: ter ◎ et ter oo in circulo duplici alternatim posita.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.* Duplex circulus circa aream it. Notabilis.

272.

Cusus *ibidem anno eodem* et præcedenti consimilis, nisi quod hic Ar. II circulo simplici cingitur et sub ذو الرياستين ه exstat.

273.

Cusus بالمحمدية سنة ثمان وتسعين ومية *el-Muhammediae anno eodem* 198.

In Ar. I infima المشرق *Oriens*. Ornamenta et Ar. II ut in N. 271, at hic sub ذو الرياستين est ح Notabilis, ineditus.

274.

Cusus بمدينة اصبهان سنة ثمان وتسعين ومية *in urbe Isbahan anno eodem*. Punctum sub ب in urbis nomine exstat.

Ornamenta: quinquies o ad duplicem circulum.

Ar. II ut in N: 272, at infra est ط Præterea supra ارسله in margine siglum ں notandum est. Circulus punctatus aream cingit. Notabilis, ineditus.

275.

Cusus *ibidem eodem anno*. Punctum in ب et in urbis nomine et in ضرب notandum. Ornamenta: sex o in circulo duplici.

Ar. II: محمد *Muhammed*
رسول *legatus*
الله *Dei est.*

Supra: لله *Deo!* infra: هرثمة *Harthema*. Notabilis et ineditus.

276.

Cusus بمدينة سمرقند سنة ثمان وتسعين ومية *in urbe Samerqand anno eodem.*

In infima Ar. I • exstat. Ornamenta: quinquies o ad circulum.

Ar. II: محمد رسول الله *Muhammed legatus est Dei.*
مما امر به الامام *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Imamus*
المامون امير المومنين *el-Mamun, Princeps fidelium.*

Supra: لله وبه *Deo! et cum eodem*, infra: الفضل *el-Fadhl*, et circulus duplex circa aream. Notabilis.

277.

Cusus بمدينة نيسابور سنة ثمان وتسعين ومية *in urbe Ni-*

sabur anno eodem.

Ornamenta: quinquies ⊙ ad circulum duplicem punctatum.

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

الله *Dei est.*

Supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *Possessor utriusque imperii*, quibus verbis ع suppositum est. Notabilis, ineditus.

278.

Pars numi fracti, cusi بمدينة اران سنة ثمان وث- *in urbe Arran* (i. e. Berdaæ) *anno eodem.*

Ornamenta: oo et o alternatim ad triplicem circulum.

Ar. II: – –

رسول *legatus* –

الله *Dei est.*

Infra: ابن عبد الله *Ibn-Abd-Allah.*

-الك *el-D* -

Circulus triplex est circa aream. Rarissimus, notabilissimus et ineditus.

279.

Cusus بمدينة السلام سنة تسع وتسعين ومية *in Urbe salutis anno centesimo nonagesimo nono* (a. 199 = 814, 5 p. Chr.).

Ornamenta: ter oo et ter ◎ alternatim ad circulum duplicem.

Ar. II: محمد *Muhammed*

رسول *legatus*

الله *Dei est.*

Supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.* Notabilis.

280.

Cusus بالرقة سنة تسع وتسعين ومية *el-Raqqae anno eodem.*

Ornamenta: sexies o ad circulum duplicem.

Ar. II ut in sequentibus, *Muhammed* | *legatus* | *Dei est*, habet. Hic vero supra: لله طاهر *Deo! Tahir*, et infra: سعيد بن

بجيى *Said ben-Jahja* legitur. Circulus areæ duplex est et crenatus. Rarissimus, notabilissimus et ineditus.

281.

Cusus بقصر سلام سنة تسع وتسعين ومية *in Qasr Selam anno eodem* 199.

Ornamenta ut in N. 279 In Ar. I infima: ✶

Circulus Areæ II simplex est. Rarissimus et ineditus.

282.

Cusus بمدينة اصبهان سنة تسع وتسعين ومية *in urbe Isbahan anno eodem.*

Ornamenta: quinquies o ad circulum duplicem.

In Ar. II suprema: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.* Notabilis.

283.

Cusus *ibidem eodem anno.* Punctum sub ـبـ adest et in urbis nomine et in ضرب Ceteroquin cum N. 282 congruit, nisi quod in Ar. II infima hic ح cernitur. Notabilis, ineditus.

284.

Cusus *ibidem eodem anno* cum N. 282 consimilis; at in Ar. II infima ـعـ exstat.

285.

Cusus بمدينة سمرقند سنة تسع وتسعين ومية *in urbe Samerqand anno eodem.*

Ornamenta: ter •• et ter ⊙ supra circulum duplicem punctatum.

Ar. II supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.* Circulus punctatus aream ambit. Notabilis.

286.

Pars numi, cusi ـلشاش سنة تسـ *el-Schasch anno* (eodem) *nono.*

Ornamenta: ◎ ad duplicem circulum punctatum. In Ar. I

infima: المشرق *Oriens.*

Ar. II: لله

Supra: لله *Deo!* Notabilis, ineditus.

287.

Cusus بمرو سنة تسع وتسعين ومية *in Merw anno eodem* 196.

Margo exterior: لله الامر من قبل ومن بعد ويوميذ يفرح المومنون بنصر الله *Dei erat eritque imperium: illo autem die auxilio divino lætabuntur fideles* (Corani Sur. 30, 3, 4.).

Ar. II supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.* Rarus, ineditus.

288.

Cusus بمدينة السلام سنة مايتين *in Urbe salutis anno ducentesimo* (a. 200 = 815, 6 p. Chr.).

Ornamenta: ter ◎ et ter ∞ ad circulum duplicem crenatum.

Ar. II ut in præcedenti; at circulus aream cingens est duplex et crenatus.

289.

Cusus بمدينة اصبهان سنة ماتين *in urbe Isbahan anno eodem.*

Ornamenta ut in N. 288. In Ar. I infima: المشرق *Oriens.*

Ar. II = N. 287. Notabilis, ineditus.

290.

Cusus بمدينة سمرقند سنة ماتين *in urbe Samerqand anno eodem.*

Ornamenta: quinquies ∘ in circulo duplici crenato. In Ar. I infima: المشرق *Oriens.*

Ar. II = N. 287, at circulus crenatus est. Ineditus.

291.

Cusus *ibidem eodem anno.*

Cum N. 290 congruit, præterquam quod ornamenta hic

sunt .. in circulo duplici et in Ar. II infima ∴ apparet.

292.

Cusus بسمرقند *in Samerqand eodem anno* 200.

Ornamenta: quinquies o ad circulum duplicem.

Ar. II = N. 287. Litteræ solito crassiores. Valde tritus.

293.

Cusus بمدينة نيسابور سنة مايتين *in urbe Nisabur anno eodem.*

Ornamenta: ter ◎ et ter ∞ ad circulum duplicem. In Ar. I infima: المشرق *Oriens.*

Ar. II ut in N. 287. Notabilis, ineditus.

294.

Cusus بمدينة السلام سنة احدى ومايتين *in Urbe salutis anno ducentesimo primo* (a. 201 = 816, 7 p. Chr.).

Ornamenta ut in N. 292.

Ar. II infra: ع Circulus crenatus arcam cingit. Notabilis.

295.

Cusus بالمحمدية سنة احدى ومايتين *el-Muhammediae anno eodem.*

Ornamenta ut in N. 292.

Ar. II supra: لله *Deo!* infra: ذو الرياستين *possessor utriusque imperii.* Circulus triplex circa arcam. Notabilis.

296.

Cusus بمدينة اصبهان سنة احدى ومايتين *in urbe Isbahan anno eodem.*

Ornamenta: ter ◎ et ter ∞ alternatim ad circulum duplicem. Ar. I infra المشرق *Oriens.*

Ar. II ut in N. 295, at circulus hic simplex est. Notabilis.

297.

Cusus *ibidem eodem anno.* Habet hic inscriptionem mar-

ginis exterioris, لله الامر من قبل الخ, quæ in N. 287 exstat.

In infima Ar. I: المشرق *Oriens* Ar. II congruit cum N. 296.

298.

Cusus بمدينة سمرقند سنة احدى ومايتين *in urbe Samerqand anno eodem* 201. Ornamenta ut in N. 294.

Ar. II congruit cum N. 295, nisi quod circ. hîc est crenatus.

299.

Cusus بمدينة زرنج سنة احدى ومايتين *in urbe Zerendj anno eodem.* In Ar. I infima كلثوم *Kelthum.*

Ornamenta: sex ⊙ ad circulum duplicem crenatum.

Ar. II = N. 295, at circulus duplex crenatus aream circumdat. Rarus, notabilis et ineditus.

300.

Cusus بمدينة السلام سنة اثنين ومايتين وبسر مية *in Urbe salutis anno ducentesimo secundo* (a. 202 = 817, 8 p.. Chr.).

Ornatur ter o et ter oo ad triplicem circ. alternatim positis.

Ar. II ut in N. 296, at circulus punctatus.

300[a].

Cusus بسمرقند سنة اثنتين ومايتين *in Samerqand anno eodem.* Inscriptio marginis exter. لله الامر من قبل الخ hîc adest.

Ar. I inf. المشرق *Oriens.*

Ar. II: لله *Deo!*

محمد رسول الله *Muhammed est legatus Dei.*

المامون خليفة الله *El-Mamun, Dei vicarius*

مما امر به الامير الرضا *Ex iis, quos* (cudi) *jussit Emirus el-Ridha,*

ولي عهد المسلمين علي بن موسى *præfectus foederi fidel., Ali ben-Musa*

بن علي بن ابي طالب *ben-Ali ben-Ali-Talib.*

ذو الرياستين *Possessor utriusque imperii.*

Circ. punctatus aream ambit. Rarissimus, ineditus.

301.

